This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

UC-NRLF
$B 291 072

Digitized by Google

GIFT OF
JANE K. SATHER



7689
L754

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

QUAESTIONUM PLAUTINARUM

LIBER PRIMUS

SIVE

DE HIATU IN VERSIBUS PLAUTINIS.

SCRIPSIT

CAROLUS LINGIUS

MAGDALENAEI COLLEGA.

VRATISLAVIAE,

APUD JOANNEM FRIDERICUM KORN, SENIOR.

MDCCCXVII.

Digitized by Google

Latin SATHER

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Quum corruptionum, quibus obsitae et inquinatae ad nos pervenerunt fabulae Plautinae, praeter librariorum Romanorum incuriam, hanc invenissem caussam, quod grammatici et critici priscam sermonis Latini pronunciationem et prosodiam, quam vocant, ex sua quisque aut Augustea aetate

829010

Digitized by Google

dijudicarent ad eamque normam versus Plautinos exigerent; coepi egomet paullo studiosius naturam illius rationemque perscrutari, poetae nostro, si possem, inde aliquid salutis quaesiturus. Ita factum est, ut multa vitia vitiorumque deprehenderem fontes, quumque pararem, quae investigassem, publico eruditorum judicio proponere, casu in hiatum delatus, hoc quidquid est libelli conscripsi. In eo potissimum id egi, ut demonstrarem, quae ratio sit hiatus in Plauti versibus, qua lege, quibus locis eum admiserit poeta, ostenderemque simul, quo modo ad hiatum removendum, et a quibus depravati fuerint singuli loci. Ex eo potissimum, quod vetustissimas editiones adhibere potui, lectio-

Digitized by Google

nisque discrepantia a me exhibita manifestum erit; post editionem Principem, nullam e solis libris manu scriptis esse concinnatam, depravatorem Plauti esse Pyladem Brixianum, hujusque vitia, ut hominum morbi per successiones quasdam traduntur, propagata esse e Brixiana anni 1506. *per Parmensem a.* 1510. *Juntinas, Aldinas, Venetam a.* 1518. *maximam partem etiam per Cratandriam aliasque, quae etiamnum apud criticos vetustatis caussa nimium habent auctoritatis. Praeter ea Plauti exemplaria, quorum mentionem feci in libello meo, pleraque consului; nam tanta eorum penes me est multitudo, ut non adeo multa desiderem; sed consulto de aliis tacui, alia rarissime in con-*

Digitized by Google

silium adhibui, vel quod modo priora repeterent, vel omnium manibus tererentur, ut Taubmannia, vel admodum dubiae essent fidei, ut Pareana, ob incredibilem editoris audaciam, novandi pruritum et levitatem, qui saepius in libris manu scriptis alia omnia legerit, quam Gruterus, iisdem usus. Gronovii, qui secundum Camerarium optime de Plauto meruit, ideo non semper rationem habui, quod plerumque numerorum curam subterfugiebat omninoque metri leges non satis perspectas habebat, ut docuit Bentlejus in Emendat. Crit. ad Menandr. p. 54. Ut alios multos mittam, non possum dolorem celare, quem e Bipontina secunda percepi. Gloriatur illa in Praefatione, Brunckium novam

Digitized by Google

Plauto lucem accendisse et in veritatem antiquam restituisse poetam. Quae quam vana sit professio, quam desultorie Brunckius munere suo functus, norunt omnes, qui priorem Bipontinam cum hac Brunckiana vel leviter contulerint. Etenim illam repeti jussit, tanta quidem religione, ut vitia adeo typographorum propagaret, veluti Aul. I, 2, 14. quaeriret, quod in illa est, pro quaereret. Emendationes tantum ad orthographiam pertinent, quas in universum probo, praeter molesta illa conruptus, inmundus, numquam, eumdem, quae nec scripta sunt Plauti aetate, nec audita unquam. Sed si quando a trita via deflectit, tum plerumque avius a vera longe ratione

Digitized by Google

vagatur. Ita in loco planissimo, Most. I, 2, 40. lapsus est, medios inter bacchiacos trimetro jambico interjecto. Nam pro eo, quod in omnibus libris est: Et fúndamentúm substruúnt liberórum fecit: et fúndamentum líberorum súbstruunt. Aut alto supercilio despiciebat scriptores Romanos, aut graece quam latine doctior erat magnus Brunckius. Bothius, ut novissimus Plauti editor, eo minus praetereundus nobis videbatur, quo confidentius sua commenta in ipsa poetae verba recepit.

Ceterum ne quis mihi objiciat, meas me partes destituisse potius quam transegisse, quaedam, non omnia Plauti metra persecu-

Digitized by Google

tum; nolui omnia morosius et cum pulvisculo exhaurire, sed tantum usitatissima et de quibus certi aliquid constitui possit. Ac si quis quaerat, num quae de hiatu in Plautinis versibus dixi, etiam de reliquis poetis scenicis intelligi velim, quorum fragmenta maxime apud Grammaticos exstant; fateor me Grammaticis, singulos veterum poetarum versus citantibus, non tantum fidei habere, ut de his locis certum judicium ferre audeam. Nam primum Grammatici ipsi pessimis libris sunt usi. Hoc jam apparet ex Plauti locis, quos commemorant; nam aut eos habent, qui hodie non exstant, aut eos, qui aliter leguntur in Plauti exemplaribus, denique si plures unum eundemque locum adfe-

Digitized by Google

runt, plerumque toto coelo inter se dissident. Ac ne videntur quidem ipsis auctoribus, quos laudant, sed excerptis quisbusdam usi esse. Gellii quidem aetate neque Ennii neque Naevii scripta exstitisse, vel ex eo apparet, quod Gellius saepenumero eorum quaedam adfert secundum Varronis testimonium, veluti XVII, 21. (Tom. II. p. 416. ed. Conr.) Deinde alia memoriter citant, alia sententiae, alia unius vocis caussa, nulla versus ratione habita. Denique, quod inter omnes constat, ipsi pessime habiti ad nos pervenerunt. Subsidia, quibus uti nobis contigit, haec fere sunt: Codex Aululariae Ms. Bibl. Univers. Viadr. Vrat. papyraceus, forma majore, in quo

Digitized by Google

praeter Aululariam ab initio continentur minora quaedam carmina, ut Virgilii de ortu solis: Virg. experientia de Iri: Virg. de signis coelestibus: de quatuor temporibus anni: Virg. Hortulus: Virg. Rosae: Virg. de speculo: Moretum aliaque, quae partim in Virg. Catalectis, partim in Anthol. Latin. et in Poetis minoribus leguntur; praeterea alia quaedam diversissimi argumenti, edita et non edita. Ultimo loco est Plauti Aulularia. In plerisque congruit cum editione Principe et maxime cum Aulularia, quae Lipsiae prodiit, curante Hermanno Buschio, impressa per Baccalaureum Herbipolensem 1508. *fol. in non nullis tamen etiam ab his recedit. Habet quoque Supplementum Codri*

Digitized by Google

Urcei, quo totus codex finitur. In fine haec scripta sunt: Finis vigilia poste: ho: 3a. 1516. quod tempus utrum scribendi an legendi finis fuerit non audeo definire. Festi *Codex Regius Berolinensis, tenuissima membrana satis eleganter scriptus, octonis, in glossarum ordine vel ab antiquissimis libris editis discrepans. Hoc codice multis in locis Festo vera restituitur lectio et Scaligeri emendationes confirmantur. Et hunc et illum debeo beneficio summi Schneideri, cujus insignem in aliorum studiis juvandis liberalitatem et ego expertus sum. Editionis Principis, quae est in Bibl. Rhediger. usum mihi concessit hujus Bibliothecae meritissimus Praefectus, Menzelius. His spe-*

Digitized by Google

ramus mox alia accessura subsidia; etenim Kopitarius, vir amplissimus, Plauti codicum Mss., qui in Bibl. Imperiali Viennensi asservantur, collationem humanissime pollicitus est. Alia aliunde exspectamus. Nam novam Plauti editionem paramus criticam et exegeticam, nosque operae pretium fecisse existimabimus, si idem Plauto praestiterimus, quod Seidlerus Euripidi, cujus et externam formam referet Noster. Volumen Primum, sive Mostellaria, vere proximo prodibit. Ceterum iis, qui assiduis exhortationibus studia mea exacuebant, re consilioque juvabant, dubitantem confirmabant, timido animum addebant, quoniam ne no-

Digitized by Google

mina nominem, ipsorum verecundia facit, quam maximam animus capere potest, tacite habeo habeboque gratiam.

Scripsi Vratislaviae, mense Majo cIↃIↃccccxvii.

Digitized by Google

ARGUMENTUM.

I. De hiatu in universum.

II. *De hiatu in fine ordinis metrici.*

III. De hiatu post primam dipodiam trimetrorum iambicorum.

IV. De hiatu post secundam dipodiam trimetrorum iambicorum.

V. De hiatu post primam dipodiam versuum trochaicorum.

VI. De hiatu post tertiam dipodiam tetrametrorum trochaicorum catalecticorum.

VII. De hiatu in versibus bacchiacis.

VIII. *De hiatu in fine sententiae* et primum quidem in personarum mutatione.

IX. De hiatu post interpunctionem.

Digitized by Google

X. De hiatu in exclamatione.

XI. De alio hiatus genere.

XII. De hiatu in nominibus propriis.

XIII. De hiatu ante vocem *homo*.

XIV. Emendantur loci quidam, in quibus vitiosus est hiatus.

XV. De elisione et synizesi.

Digitized by Google

UNIV. OF CALIFORNIA

De hiatu in versibus Plautinis.

I.

Hiatus in carminibus Graecorum quantum negotii facesserit criticis, quot exercuerit calamos, nemo nescit. Et profecto non potest negari, Graecos multo facilius admisisse hiatum quam Romanos, quorum lingua natura sua ita ferebatur ad elisionem et synizesin, ut, quae nunc in illis terris viget, matre pulcra filia non sane pulcrior, etsi ab omnibus fere illius virtutibus degeneraverit, in eo tamen referat matrem, quod synizesis et elisionis amorem non deposuit. Diligenter igitur veteres Romani hiulcam vocum concursionem ut vitiosam fugiebant aut elidendi arte dissimulabant. Docet hoc cum ipsa

Digitized by Google

poetarum lectio, tum insignis ille locus Ciceronis, [a]) ubi Ennium non nisi semel hoc sibi indulsisse ait. „At enim, inquis, satis frequens est hiatus apud Romanos et maxime apud Plautum.“ Recte tu quidem, sed tum semper aut excusationem habet aliquam, aut etiam necessitatem. Bentlejus quidem hiatui suas scripsit leges, sed perquam adstrictas; nam exturbandum eum censet, nisi tria haec

a) Orat. c. 45. *Nobis, ne si cupiamus quidem, distrahere* (i. e. non elidere) *voces conceditur. Indicant orationes illae ipsae horridulae Catonis, indicant omnes poetae, praeter eos, qui ut versum facerent, saepe hiabant, ut Naevius:*

Vos qui ascolitis Hístrum fluvium atque Algidum.

Et ibidem:

Quam núnquam vobis Gráji atque Bárbari.

At Ennius semel:

Scipio invicte.

Et quidem nos:

Hoc metu radiantis Etesiae in vada ponti.

Minus commode ultimum hoc exemplum tanquam hiatum adferri a viro oratorii quam poetici numeri peritiore, vel me tacente intelligitur. Hanc enim rationem non censeri hiatum, potissimum in versibus dactylicis, sensus ipse, qui communis dicitur, docet, et diserte traditur a grammaticis. Cf. inter Graecos Aristides p. 46. et inter Romanos Theodorus Mallius de metris p. 10. *Communis vero syllaba fit, cum productam vocalem sequitur vocalis, ut: Insulae Jonio in magno.*

Digitized by Google

sint conjuncta, primum ut verbum sit monosyllabum, deinde ut syllaba sit longa, si quidem in vocalem exeat, ictum denique habeat in prima syllaba anapaesti. b) Post Bentlejum pauci tantum hunc locum tetigerunt praeter Hermannum, qui suo exemplo docuit, has Bentleji leges, ut nimium adstrictas, esse relaxandas. Cui viro etsi, quidquid in his literis meum est, acceptum refero, nemo tamen, si quaedam ex his, quae ut a me inventa profero, forte congruant cum iis, quae nuper docuit ille in Elementis doctrinae metricae, nemo, inquam, tam iniquus erit horum studiorum aestimator, ut me aut fraudis insimulet, aut *τἀλλότριον ἀμᾶν ϑέρος* clamitet. Consulto enim haec omittere nolui, quia in omni literarum genere plurium idem quaerentium consensus inventis fidem addit et auctoritatem.

---

b) Huc pertinet in primis locus in Schediasm. de metr. Ter. §. 8. et ad Horat. Carm. III., 14., 11. Praeterea de ea re loquitur ad Horat. Sat. II., 2., 28. ad Terent. Adelph. V., 8., 23. Hecyr. V., 2., 21.

Digitized by Google

II.

Jam vero facile intelligitur, ubi sive *numeri* sive *sensus* pausam aliquam fieri jubeant, ibi sine omni aurium offensione orationem hiare posse: qua ratione Bentleji leges non tam abrogantur, quam subrogantur. Et *numeri* quidem verborum cursui moram adferunt in eo versus loco, ubi ordo aliquis finitur, non igitur in ultimi, sed in cujusque ordinis fine i. e. *in caesura.* Quod ubi fit, voces, temporis intervallo distractae, ne sentiuntur quidem hiare, quod aures aliis in locis vehementer aspernantur. Quo major igitur erit incisio, eo minus reprehensionis habebit hiatus, eoque frequentior erit, idque maxime in mediis cujusque generis tetrametris [c]). Quare jam ante hos viginti annos Hermannus [d]) docuit, Plautum tetrametros jambicos catalecticos et acatalecticos asynartetorum le-

---

c) Verissime Boeckhius de metris Pindari p. 103. *Plautus*, inquit, *tetrametros suos asynartetos fecit, admisso in distinctione ordinum hiatu.*

d) De metris p. 179. et 185.

Digitized by Google

ge mensum esse; quibus et nuper e) rectissime trochaicos tetrametros catalecticos et acatalecticos itemque creticos adjunxit.

III.

Verum etiam in fine cujusvis dipodiae trochaicae legitimus nobis videtur hiatus, et primum quidem *in trimetris jambicis*, f) qua observatione immensae locorum multitudini a criticis depravatorum antiqua lectio restituitur. Neque tamen novum est hoc corruptionis genus aut a recentissimo Plauti editore invectum, quanquam hic ea in re omnibus, qui unquam Plautum

e) Elementa doctr. metr. p. 87. et 91. et 205.

f) Rem a Bentleio ad Terent. Eun. III., 1., 18. obiter significatam, ab Hermanno in Element. doctr. metr. aliquoties, clarius sed cum haesitatione, monitam jam dudum observaveram, quum etiam alios idem invenisse vidi, ut Rostium, V. Cl. in Plautinorum Cupediorum Ferculo VII. p. IX. Omnino Rostius egregie de Plauto meruit tot ejus locis obscuris et paene desperatis lucem et opem afferendo; ad quam laudem seculo hoc critico et ab interpretatione averso pauci adspirant. Nuperrime eandem rem docuit Censor Plauti Bothiani in Jen. A. L. Z. 1816. num. 174. et Osannus in Analect. critic. p. 113.

Digitized by Google

corruperunt, haud dubie palmam praeripuit; sed fundamentum et radices habet altissimas. Nam quicunque Plautum describere aut edere conabatur, bellum sibi paratum cum hiatu putabat. Ita

Aulul. I, 1, 5.

Nam quâ me nunc causa éxtrusisti ex aédibus?

illud *me* est spurium; nam et commode potest abesse, increpantes enim solent elliptice loqui, et abest etiam a cod. Vrat. editione Principe, Veneta II et III. g) Primus addidit Pylades Brixianus h), metri necessitate, ut ipse ait. Deinceps in omnibus legitur, sed ita, ut sedem mirum in modum variet. Atque etiam librarii pronomina *me*, *te*, *se* saepius inculcarunt, quam

g) *Venetam secundam* dico, quam Scutarius, Merulae discipulus, jussu magistri e Principe excudi curavit, sublatis quibusdam typographorum vitiis 1495. 4. *Venetam tertiam* dico, quae prodiit 1499. Nam quae vulgo fertur Veneta s. a cum commentar. P. Vallae et Bernardi Saraceni (Index Weigelii num. 7734.) ea nulla exstat, sed est eadem, quam nos tertiam dicimus.

h) Pylades millenis in locis poetam nostrum corrupit, cui et emendandi pruritu et maledicendi libidine parem Plauti editorem nostra demum vidit aetas. O dignum patella operculum!

Digitized by Google

temere omiserunt, ad rimas scilicet explendas. Multa jam removerunt Reizius et Hermannus, multa restant, velut Mil. IV, 3, 42.

Nam quos videre exoptabam me maxime.

Jam accentus docet, *me* esse spurium, et abest sane ab antiqq. edd.

Item restituenda est vetus lectio

Aulul. II, 4, 18.

Puméx non aeque áridus atque hic ést senex.

Nam alterum *est*, numerorum complementum omittitur in cod. Vrat. et antiquissimis libris ante Cratandrium editis.

Ib. Prolog. v. 7.

Thesaúrum auri clam ómnis: in medió foco.

Ita cod. Vrat. et omnes editi usque ad Camerarium, qui transposuit verba: *Au. th.* ut solet, non monito lectore.

Ib. II, 4, 37.

Pulméntum pridem éji eripuit míllius.

Both. inseruit *etiam* post *ei*. Non est quod moneam, *eji* pro *ei* apud Plautum et Lucretium saepius inveniri, ut Curcul. IV, 3, 12. Cas. Prol. 35. 37. Epidic. I, 1, 34. Mostell. IV, 2, 32. secundum Acidal. Ita etiam

Digitized by Google

scripsit Reizius Rud. Prol. 25. 68. Codices in his rebus nullius sunt auctoritatis.

Ib. III, 5, 11.

In máxima illaec pópuli parte est óptuma.
In pauciore, avidis altercatio est.

Ita est in cod. Vrat. ed Pr. Venet. II et III. Lips. 1508. Veneta 1518. Aldina et Juntina 1522. Cratandr. 1523. Primus Camerarius in Hervagiana priore habet:

In maximam illuc populi partem est optumum.
In pauciores avidos altercatio est.

quod postea omnes receperunt acquiescentes in Lambini explicatione: „*illud, divites indotatas uxores ducere, maximae populi parti est utilissimum. Nec dubium est, quin, si fiat, quod dico, major pars populi probatura sit. Restant nunc pauci locupletes et avari, quibuscum controversia mihi est.*“ Probabo, si quis mihi triplicem exemerit scrupulum. Nam primum dubito, an res aliqua dici possit *bona in aliquem;* deinde altercationem facimus *cum aliquo*, non *in aliquem;* denique simplex controversia, vel

Digitized by Google

disputatio, cujusmodi haec est, non dicitur *altercatio*, quae est disceptatio cum jurgio, intermixtis convitiis, quales exercent mulieres morosae et oblatratrices. Quare censeo, paucis mutatis, veterem lectionem esse urgendam. Prior versus servandus est, sed in *pauciore avidis* inest vitium, quod appareret e difficultatibus, quibus sensus laborat, tum vero etiam ex eo, quod *avidis* sequente versu repetitur. Nam quis dixerit: *avidi animum habent avidum.* Locum e sententiarum nexu et literarum ac notarum vestigiis ita refingo:

In máxima illaec pópuli parte est óptima,
In párcius a re hábitis altercátio est,
Quarum ánimis avidis átque insatietátibus etc.

h. e. in maxima populi parte mulier est benevola et blanda et moderata, sed si qua e dotatis illis, insanae aviditatis mulieribus, parcius paulo et restrictius pro re familiari a marito habetur, tum altercatur et ei illud oggannit: „hem! cui decem talenta dotis detuli!“ *A re* est *quantum attinet ad rem familiarem*, quo significatu haec praeposi-

Digitized by Google

tio saepius a Nostro adhibetur, ut Aulul. II, 2, 9. *male valere a pecunia.* Pro *avidis* scripsi *habitis* non sine exemplo adspirationis per librariorum oscitantiam omissae. Haud raro scripserunt *abitus* pro *habitus*, *omnes* pro *homines*, *onustus* pro *honestus*, *oneratus* pro *honoratus*, *ora* pro *hora*, *oriens* pro *horrens*, et id genus alia. *Quarum* pro *quorum* reperi in margine editionis Venetae 1518 manu scriptum.

Ib. III, 5, 34.

Stat fúllo, phrygio, aúrifex; landrius.

Both: *phrygiod.*

Ib. IV, 6, 13.

Indeque óbservabo, aúrum ubi abstrudát senex,
Quanquam híc manere mé herus sese jússerat.

Both. *observabo ego.* Posteriorem versum e cod. Vrat. ed. Pr. et Junt. atque. Aldina restitui. Cratandria omisit *me.* Camerarius primus verborum ordinem mutavit; ex quo apparet, criticos etiam hujus generis hiatus dimovisse.

Digitized by Google

Ib. IV, 8, 3.

Memorâre nolo hóminum mendicâbula.

Both. inseruit *me.*

Ib. I, 1, 26.

Nunc ĭbo, ut visam, éstne ita aurum, ut cóndidi.

Ita est in cod. Vrat. ed Pr. et omnibus veteribus. Pylades metri causa primus scripsit *sitne*, quem adeo sequuntur Camerarius et Dousa. Both. pro *ut* scripsit *utĭ*. Conjunctivum modum saepissime jungi interrogativis indefinite positis non a Plauto solum, sed ab omnibus scriptoribus Romanis, res est in vulgus nota. Cf. Rhunkenius ad Rutil. Lup. p. 98.

Ib. 30.

Queo cómminisci, ĭta me miserum ad hùnc modum.

Ita cod. Vrat. et omnes editi ante Camerarium, qui dedit *me ita;* Both. ut nos, sed versum ita legit, ut *ita* ultimam syllabam habeat longam, de quo alio loco dicetur.

Asin. IV, 1, 14. lege:

Forĕs occlusae ómnibus sint, nĭsi tibi.

Digitized by Google

Ita ed. Pr. et omnes ante Camerar. qui fecit *sient*. Unus Pylades intrusit *viris* ante *omnibus*. Both. *occlusaed*.

Ib. 24.

Ad eórum ne quem óculos adjicíat suos.

Pylades injecit *illa* post *quem*. Both. *quemquam*.

Ib. 30. lege:

Neque íllaec ulli hómini pede pedém premat.

Nam vulgatam lectionem, quae quidem in omnibus libris est, peperit fuga hiatus, quod accentus docet. Pylades malebat:

pede homini pedem premat.

Ib. 33.

Spectándum ne quoi ánnulum det néque roget.

Pylades et Both. *quoiquam*.

Ib. 34.

Talós ne quoiquam hómini admoveat, nísi tibi.

Hunc versum tulerunt Pylades et Both. sed more suo legunt:

Talós ne quoíquam homini ádmoveát, nisí tibi.

Digitized by Google

Pseud. I, 1, 24. lege ex ed. Pr. Veneta II et III.

Intérpretari álium posse néminem.

Ugoletus et Grapaldus *posse reor* metri causa fecerunt, quos sequuntur Juntina et Cratandria. Camerarius dedit vulgatum *potesse*, quod omnes deinceps servant.

Ib. 42.

Lacrimáns titubanti ánimo, corde et péctore.

Ita et falsa quidem versuum distinctione legebatur ante Pyladem, qui transposuit verba: *anima titub.* Hoc receperunt omnes usque ad Camerarium. Both. *titubantid.*

Trin. Prol. 18.

Huic nómen graece ést Thesauro fábulae.

Ib. I, 2, 169. malim cum Bentlejo vulgatum verborum ordinem servare, quam cum Hermanno mutare; quare lego:

Quod quísque in animo hábet, aut habiturú'st, sciunt.

Stich III, 2, 7.

Mustéla murem ábstulit praetér pedes.

Digitized by Google

Ib. 18.

Qua lége nunc me ésurire opórteat.

Poenul. III, 4, 8.

Ibíque reliqua ália fabuládimur.

Ita legitur in ed. Pr. Veneta II et III. qui postea dederunt, alii alio modo hiatum removere conantur.

Ib. 15. lege:

Rem advérsus populi ésse leges? Scívimus.

Esse pro vulgato *saepe* est in ed. Pr. Veneta II et III. et in cod. Salmasii. Both. adeo fecit *semper.*

Ib. V, 2, 8. Rectissime legitur:

Creta ést profecto hórunc hominum ordtio.

Nam ita est in omnibus antiquis, nisi quod falso *certa* habent pro *creta.* Inde a Pylade pro suo quisque lubitu versum interpolabat. Both.: *Cretá profecto est* etc. O quam teretes viri sunt aures!

Ib. V, 3, 19.

Quum huc ádvenisti hódie in ipso témpore.

Ita in omnibus antiquis legitur. Pylades: *atque hodie*, quod recepit Cratandr. Bothius pro *quum* habet *quando.*

Digitized by Google

Menaechm. V, 3, 6.

Lumbí sedendo, óculi exspectandó dolent.

Officiose Both. ut hiatui caveret, suum *d* suffulsit *sedendod.*

Rud. Prol. 55. ex ed. Pr. legi debet:

Dicít: potesse íbi eum fieri dívitem.

Non ut Reizius dedit:

Dicít: potesse ibi fiéri eum dívitem.

Mostell. I, 1, 80. Lege:

Videó corruptum éx adolescente óptimo.

Ita ed. Pr. omnesque usque ad Pyladem, qui metri causa infersit *hic.*

Rarissima sunt exempla hiatus falso eam in sedem recepti, veluti

Asin. IV, 1, 40. ubi vulgo legitur:

Post si lucerna exstincta est, ne quid sui,

sed ita legi debet:

Post id sí lucerna exstíncta sit, ne quíd sui,

id recepi ex ed. Pr. et aliis vulgatis ante Camerarium libris; *est* pro *sit* comparet primum in Taubmannia II, 1621. inde per omnes deinceps propagatum. *Si* quando est pro *si forte*, ut h. l. tum debet sequi conjunctivus, postulante usu jam Plautinae aetatis.

Digitized by Google

Aulul. III, 6, 5. nihil fere probat:

Cererín', Strobile, hds facturi núptias,

nam potest etiam legi *Cererine.*

Mercat. II, 1, 35. apud Both. ita legitur:

Adscéndo in lembum átque ad navim ádvehor.

Atque ego illi adspicio fórma eximia múlierem,

sed potius ex ed. Pr. legi debet:

Adscéndi in lembum atque ád navim advehor: átque ego

Illíc adspicio etc.

IV.

Sed dixi, etiam in fine secundae dipodiae, ante creticum, nihil offensionis habere hiatum; etsi facile concedo, rarius ibi inveniri eum, quam in penthemimeri. Cujus rei rationem non difficile est perspicere, quoniam medio in versu rectius conquiescit oratio, quam paulo ante finem. Reperiuntur tamen multa ejusmodi loca, in quibus nulla corruptionis vestigia apparent, veluti

Digitized by Google

Mercat. IV, 4, 5. qui locus duos parietes de eadem fidelia dealbat, quum duplex insit hiatus, cujus generis versus frequentissimi sunt.

Vidére, amplecti, ósculari álloqui.

ita omnes libri antiqui, scripti et impressi, praeter Pyladem, quem sequitur Juntina et Cratandria, quae habent: *atque alloqui.* Sed Camerarius, Coel. Sec. Curio in Hervagiana altera, Sambucus, Dousa, Lambinus, Pareus, Taubmannus in priore et Both. habent *amplectier, osculari.* Taubmannus in altera 1612 primus revócavit antiquam et veram lectionem; hunc sequitur Grúter. et Gronov.

Asin. IV, 1, 15.

In fóribus scribat, óccupatam ésse se.

ita omnes libri praeter Pyladem, qui transposuit: *in for. occ. scr. es. se*, metri ratione cogente, ut ipse ait. Locum hunc intactum reliquit Bothius aeternum hiatui bellum juratus.

Ib. 46.

Tollám. quidni? audi réliqua. loquere, aúdio.

Digitized by Google

Pylades *audi nunc*, quia versus aliter non constaret, ut ipse addit. Both. *reliqua eloquere.*

Casin. I, 38. vulgo legitur:

Post autem ruri nisi tu acervom ederis.

Merula in ed. Pr. nec de versuum distinctione nec de verborum sensu sollicitus haec jussit excudi:

post autem nisi ruri tu
Acervo mederis: *aut quasi etc.* eodem modo Veneta II. Hoc Saracenus ita refinxit:

nisi tu ruri ervom ederis.

Idem viderunt Pius Bonon. et Phil. Beroaldus, reprehensi ob id ab Ugoleto et Grapaldo, qui dederunt in Veneta 1518 lectionem non contemnendam:

Post autem nisi ruri tu acer comederis,

probatam Juntinae. Sed Aldus, Cratander, Sambucus et Coel. S. Curio: *ervom comederis.* Mss. Langii: *autem ruri tu nisi Acervo mederis.* Camerarii *acervom* nunc omnes libros occupavit. Sed quid quaeso est *acervum comedere?* Nihili enim est Turnebi interpretatio, jam ab omnibus recepta, esse idem ac *de frugum acervo vivere rodendo ut*

Digitized by Google

mures. Primum *acervus* non absolute ponitur pro *frugum acervo*, nisi si jam antea sermo de iis fuerit. (Ut Tibull. I, 1, 77; nam in toto carmine sermo fuerat de vita rustica. Hic versus cohaeret cum v. 9 et 25. ubi ego legere malim: *Jam modulo possum contentus vivere parvo.*) Deinde semper notat copiam quandam et congeriem, et suave est *ex* magno tollere acervo; quod qui possunt, nachi profecto fame non laborant. Denique non potest dici *acervum edere* pro *de acervo*. Quare veram lectionem hanc esse puto:

Post autem nisi rure tu aut ervom ederis,
Aut etc.

ervum Isidor. Origg. XVII, 4. leguminis genus dicit, quod dum sit quibusdam pecoribus infestum, tauros tamen pingues efficit. Noster Mostell. I, 1, 59. *Ervom daturin' estis, bubus quod feram?* cf. summi Schneiderі Index Scr. R. R. *Aut* quum per compendium esset scriptum, transierat in *ac*; quod etiam vidit Both. nisi quod ad hiatum vitandum transposuit verba: *post autem ruri aut ervom nisi tute ederis.*

Digitized by Google

Mostell. I, 1, 19. 20. Lege

Dum tibi lubet licetque, pota, pérde rem,
Corrúmpe herilem, ádolescentem óptimum.

Nunc ante *dum* est illud quidem in ed. Pr. sed omissum in Veneta II. quam Scutarius Merulae jussu curavit; deest etiam in Ven. III. *filium* post *herilem*, quod deest in omnibus antiqq. edd. instrusum est ab Ugoleto et Grapaldo, quos sequuntur, ut solent, Juntina, Aldina et Cratandria et deinceps omnes. Ceterum etiam e paronomasia *lubet licetque* saepius apud veteres obvia, intelligitur pronuntiatio affinis literarum *i* et *u*. cf. Heinrich ad Cic. Oratt. pro Scauro etc. partes ineditas p. 77.

Poenul. Prol. 94.

Huc cómmigravit in Calydonem haúd diu.

ita omnes antiqui praeter Pyladem, qui transposuit verba: *Huc in C.* quod etiam placuit Bothio. Hermann. Elem. doctr. metr. p. 190 hunc locum in iis posuit, qui facile corrigi possint.

Rud. III, 6, 21.

Ego húnc scelestum in jus rapiam éxulem.

Ita ed. Pr. Reizius *E. h. sc. r. jam i. j. e.*

Digitized by Google

Trin. Prol. 15. vulgatam servandam esse censeo:

Dedi meam gnatam, quicum aetatem exigat.

Bacchid. III, 4, 24[1]

Mori me malim excruciatum inopia.

Both. *Morîri malim med-axor.*

Menaechm. III, 2, 11.

Prandi, potavi, scortum accubui, dbstiti. Hanc.

Ib. 53.

Uxóri rem omnem iam út sit gesta éloquar,

ut est in ed. Pr. non *uti.*

Poen. I, 3, 34.

Nam istî quidem hercle orátioni Oédipo. Opu'st cónjectore.

Aulul. Argument. alt. v. 1. i) vera lectio est:

Auldm repertam aûri plenam Eúclio.

---

i) Duo argumenta in omnibus libris praefixa sunt Aululariae. In cod. Vrat. alterum: *Senex avarus* etc. inscriptum est: *Argumentum non Plautinum*, alterum acrostichon: *Argumentum verum Plauti.* Atque haec mea quoque est qualis cunque de his acrostichidibus sententia. Nunquam enim animum inducere potui, ut ess grammatici cujusdam esse crederem. Prisciani esse vel propterea non possunt, quia verba: *pretium ob asinos* ex Argum. Asinariae v. 5. tanquam Plauti laudantur

Nam *domi*, quod vulgo additur, infarsit Pylades sententiae et metricausa, ut ipse testatur. Vulgata jam accentu se prodit.

Mostell. I, 1, 37. lege:

at te Jupiter
Diique omnes perdant, eboluisti dllium.

Huc pertinet locus Statii Caecilii apud *Cic. de Nat. Deor. III*, 29, qui ita legi debet:

quem neque
Quo pacto fallam, neque quid inde duferam,

quem neque sunt quidem Caecilii verba, sed a Cicerone suae orationi adaptata. Aliter sentiebat Heindorfius ad h. l.

---

a Donato, duobus fere seculis antiquiore, ad Terent. Andr. III, 5, 4 atque etiam versus quidam ex Argum. Militis a Nonio ut Plautinus citari dicitur, sed quem ego nondum inveni; (cf. Longolius in nota ad Plauti Amphitr. Argum. 1. apud Boxhorn.) deinde quia nusquam Prisciani operibus junctae leguntur; denique quia multa iis continentur, quae ab hujus grammatici praeceptis de dictione et de accentibus vehementer abhorrent. Cf. M. Accius Plautus und Friedr. Wolfg. Reiz von Berend Kordes p. 48. sq. Plautinae aetati propterea eas tribuo, quod haec non aliena erat ab ejusmodi lusibus; nam etiam Ennium, Plauti aequalem, acrostichides fecisse, e Cicerone constat; Plauto ipsi vindicandas censeo ob numerorum et dictionis praestantiam.

Digitized by Google

Nolo plura addere; satis enim exemplorum contulisse mihi videor, unde appareat, Plautum in fine cujusvis trimetrorum ordinis hiatum admisisse. Quod quin consulto fecerit, quum non possit dubitari; sequitur, eorum infringi errorem, qui Plauti in servandis numeris nescio quam futilem negligentiam aut insanam temeritatem somniant et hariolorum nomine insigniunt eos, qui ad metricarum legum normam ejus versus exigere conantur. Contra et retunditur ambitiosa criticorum sedulitas, qui quidquid hiat, id continuo pro vulnere habent, cui curando usque a columna rostrata medicinam arcessunt, gloriantes, se obligasse crus fractum Aesculapio, Apollini autem brachium. Denique refutantur ii, qui cum Reizio [k]) contra Bentlejum et Hermannum pro jambica trimetrorum dimensione pugnant, nominatim Carolus Reisigius Thuringus, V. Cl. [l]) qui opinionem semel temere

k) Reizius in Dissertat. Burmannum de doctrina metrorum Terentianorum judicare non potuisse. Lips. 1787. 4. p. X. sq.

l) Conjectaneorum in Aristophanem lib. I. p. 4.

Digitized by Google

susceptam adeo obstinate tenet, ut, quum trochaicam caesuram non possit non agnoscere, eo denique delabatur, ut eos trimetros, qui non possunt in *jambicas* dipodias describi, distinctos esse dicat jambico monometro hypercatalectico et trochaico dimetro catalectico. Quod merum esse viri sagacissimi commentum, non difficile est intelligere, et nostra observatione liquido apparet. Ubi enim hiatus identidem reperitur, ibi majorem quandam incisionem statuisse poetas, necesse est. Atqui hiatus non in jambicae, sed trochaicae dipodiae fine invenitur. Certum igitur est, dimensionem non fuisse jambicam, sed trochaicam. Et quod adeo ante creticum finalem hiatus est, ex hoc vel me tacente apparet, ad nihilum recidere duplicem illam ex jambicis et trochaicis conflatam trimetri naturam. Medio enim in ordine, quod constat, hiatus esse non potest. Neque tamen haec ita a nobis disputantur, ut omnes omnino trimetros, sine ulla numerorum commutatione, eadem caesura distingui dicamus; sed tam frequens est, ut regnare in iis merito dici

Digitized by Google

possit, ut, si jambicos tetrametros catalecticos exceperis, non meminerim ullius apud Plautum hiatus a jambica caesura nati. Quin si inveniuntur hiatus, qui et aliunde, veluti a sensu verborum, excusationem possint habere, de quo postea dicetur, fere semper in fine trochaicae dipodiae locum habent; cujus rei innumera in Plauto exstant exempla.

V.

Venio ad versus *trochaicos*; nam et hi in fine cujusvis dipodiae hiatum admittunt. Ac primum quidem post *primam* dipodiam.

Aulul. II, 3, 7.

Atque occlude aédes jam ego hic ddero. Quid
ego núnc agam?

Ib. III, 3, 7.

Intro abi, ópera húc conducta est véstra,
non ordtio.

In quo duplex est hiatus, alter post *abi*, alter post *opera*.

Digitized by Google

Ib. IV, 4, 15.

Lérvae hunc atque intemperiae insánideque agitánt senem.

Asin. II, 2, 26.

Edepol hominem infélicem, qúi patronam cómprimat.

Asin. V, 2, 24.

Fúndum alienum árat, incultum fámiliarem déserit.

Both. *F. ar. al.*

Casin. III, 1, 1.

Núnc amici, dnne inimici sís imago, Alcésime.

Non potest huc referri, quod cuiquam videri possit.

Trin. III, 2, 30. hunc enim locum Bothius, qui nihil solet probare, nisi quod sibi soli placet, ingenio suo fruens ita nobis restituit.

Ut rem patriam ét majorum meúm faedarim glóriam,

quum rectissime Hermannus dedisset, ut est in ed. Pr.

Ut rem patriam et glóriam majórum foedarim meum.

Digitized by Google

VI.

De hiatu, qui est post *secundam* dipodiam, sive mediis in tetrametris trochaicis, nihil addo; tam enim frequens est, ut propriam ibi sedem et domicilium collocasse videatur, adeo ut Hermannus hos versus inter asynartetos referret. Quare statim ad *tertiam* progredimur dipodiam et quidem catalecticorum; nam et in his ante creticum non rarus est hiatus.

Asin. II, 2, 112.

Ille est ipsus jam égo recurro huc. tu hùnc interea hìc tene.

Both. *tute.*

Ib. V, 3, 23.

Ille opere foris faciundo lássus noctu ádvenit.

Both. *Ille for. op. - - - - noctud -*

Curc. II, 3, 55.

Quód tibi est, itém sibi esse, mágnam argenti ínopiam.

Both. pro *est*, quod omnes habent, posuit *esset.*

Ib. V, 2, 38.

Nihil est, quod ille dícit, fac me cértiorem, óbsecro.

Quod habet ed. Pr. pro vulgato *quidquid.*

Digitized by Google

Mercat. V, 2, 17.

Egomet mihi comés, calator, équus, agaso, armiger.

Both. *agasod.*

Ib. V, 4, 8. 9.

Qui bono sunt génere nati, si sunt ingenió malo,
Suápte culpa génere capiunt génus, ingenium improbant.

Haec est lectio trium antiquissimarum edd. nisi quod *si sunt*, in iis non legitur, pro quo Veneta 1518 habet *praediti;* eadem *ex genere*, item quae hanc plerumque sequuntur, Juntina et Aldina et Cratandria. Non alter Plauti locus hoc magis est vexatus criticorum commentis, quae vide sis apud Gruterum ad h. l. Ultimus manum admovit Gronovius, qui ita constituit:

Suópte culpam géneri capiunt, génus ingenio improbant,

quod Both. recepit, litera sua interjecta: *ingeniod.*

Miror, tot hominum illustrium ingenia frustra in hoc loco rectius constituendo desudasse et nodum in scirpo quaesivisse. Pro vulgato *ingenium* Mss. habent *ingenio.*

Digitized by Google

Hoc si restituitur, omnis evanescit difficultas. Quare non transversum unguem a Mistis discedens lego:

Quí bono sunt génere nati, sí sunt ingeniô malo,
Súapte culpa génere capiunt génus, ingenio improbant.

i. e. *genus inveniunt eo tantum, quod nascuntur; sed hoc genus corrumpunt pravis moribus.* Ita in singulis versibus bina sunt membra, quae egregie sibi respondent, quod suus quemque sensus docebit. *Suapte culpa* non refero ad *genus capiunt*, sed ad universam sententiam. *Genus capere genere* dicebantur sine dubio veteri proverbio homines nequam, fruges consumere nati, in quibus nihil possit praedicari, nisi quod nati sint. *Capere* neminem offendet; nam *capi* dicebantur omnia, quae hereditatis jure ad quempiam perveniunt; apud Ciceronem saepius est *hereditatem capere*, et postea apud ICtos in formulam solennem abiit. *Improbat* proprio ac nativo sensu accipio, ut sit improbum reddit, corrumpit et, ut Horatius dixit, indecorat. Opponuntur sibi h. l. *genus* et *ingenium*, ac si re vera sibi con-

Digitized by Google

traria sint, in quo manifestus est lusus verborum: *sie entwürdigen ihren Adel durch Unadel* (*der Gesinnung*) atque eo pravam progeniem procreant,

Ἐκ τῦ κακῦ γὰρ ἡ φύσις τίκτει κακόν,
Ὡς ἐξ ἐχίδνης πάλιν ἔχιδνα γίγνεται.

Ecdorus ap. Stobaeum Grot. p. 365.

Poenul. III, 1, 32.

Quód tu invitus núnquam reddes dómino, de quo éderis.

Ib. 35.

Both. *de quid.*

Quidquid est pauxillulum illuc: nóstrum id omne íntus est.

Ita ed. Pr. Both. *omned.*

Mil. V, 9.

Cúr es ausus súbagitare aliénam uxorem, ímpudens?

VII.

In *creticis* eandem obtinere legem, demonstravit Hermannus loco supra laudato. De *bacchiacis*, nisi fallor, hanc in rem nihil monuit. Sed etiam in his nos

Digitized by Google

eadem in sede hiatum et syllabam ancipitem observavimus.

Menaechm. V, 2, 11.

Repénte expetít me, ad sése a me ut írem.

Ita locum verissime restituit Gulielmius, quum in Mstis inveniret: *ad sese me ut irem*, ante alterum *me* excidisse literulam *a* conjiciens; *a me* i. e. domo mea. Quod quum redundare et frigere videretur criticis, temere expunxerunt, non cogitantes, senem hic loqui dicaculum. Neque probatur mihi Reuvensii V. Cl. m) ratio ita constipantis:

Repénte expetít sic me ut dd sesed írem.

Omnino vix dici potest, quantopere Reuvens amet Bothianam illam literam. Similiter

Ib. 20. ita scripsit:

Nisi áut quid commíssid aut júrgid est caúsa,

quem locum nos vestigia ed. Pr. secuti (in qua est: *nisi aliquid commissi aduirgii e ca.*) ita restituimus:

Nisi áliquid commíssi, aut ést causa júrgi.

nam ultimus pes purus esse debet.

---

m) Collectanea litteraria, p. 115.

Digitized by Google

Truc. II, 5, 8.

Lucrí causa avára probrúm sum exsecúta.

Falso Bothius existimat, ultimam syllabam in *avarā* produci ob sequentis verbi duplicem consonantem, quae productio aliena est a Plauti aetate.

Lepidissimus est locus *Pseud. V*, 1, 1, *sqq.* Venit Pseudolus madide madens et vino tam gravis, ut pedibus insistere nequeat. Mirabundus prodit in scenam et altercans cum pedibus suis, quod officium denegare audeant; nam in hos omnem culpam transfert. Hoc Plautus ad naturae veritatem expressit numerorum varietate et quasi vacillatione. Stantque labantque pedes histrionis et cum iis lingua quoque titubat.

Quid hóc? siccine hóc fit? pedés, statin' dn non?
An íd voltis, út me jacéntem aliquis tóllat?
Nam hércle si cécidero véstrum erit flágitium.
Pérgitin' pérgere? ah! céviendúm mihi
Hoc die est.
Magnum hóc vitium vino est, pedés captat primum,
Luctátor dolósu'st.

Digitized by Google

Profécto edepol égo nunc probe débeo madúlsa:
Ita víctu excurdto, ita mánditiis dígne ah!

Nihil mutavi, nisi quod pro *seviendum*, quod habent Mss. et ed Pr. scripsi *ceviendum*, quod Gronovio debemus, qui conjecit *cevendum* locumque primus vere interpretatus est. Inest jocus turpiculus; nam *cevere*, quod significat *clunes movere*, potest intelligi cum de Bacchi tum de Veneris servitio. Veteres dixisse *cevo*, *cevis*, docent grammatici, nec dubito, quin dixerint *cevio*. *Abeo madulsa* veram esse lectionem, vidit Scaliger, qui ad Festum v. *madusa* corrigit *madulsa*; n) *v.* 9. est hiatus medio in versu.

VIII.

Quemadmodum vero in fine ordinis poetici, sive in pedum inter se aptorum et colligatorum serie exeunte, hiatus commode locum habet; ita etiam in fine verborum

n) Scaligeri emendatio confirmatur etiam Festi Cod. Reg. Berol. ubi haec leguntur: *madulsa hebrius a graeco deductum vel quia madidus satis vino sit.*

Digitized by Google

sensu inter se nexorum, i. e. *in sententiae cujusque exitu*, oratione acquiescente, hiatus aures praetervolat. Quare Plautus, acutissimus naturae humanae non speculator tantum, sed etiam imitator, non dubitavit in ejusmodi locis elisionem negligere, ac primum quidem *ubi persona mutatur*. Exempla, quae Hermannus Elem. doctr. metr. p. 190. eam in rem adfert, quum omnia fere, ex nostra quidem sententia, a caesura excusationem habeant, haec illis addere non supervacuum duximus.

Asin. IV, 1, 11.

Addóne? DI. Adde et scríbas vide o) *plane ét probe.*

o) *Vide* est pyrrhichius. Multorum primae, secundae et quartae conjugationis verborum imperativi ultimam semper habent brevem apud Plautum. Observarunt hoc et alii, sed nemo adhuc, quantum scio, verum vidit, ne illi quidem, qui rem ita expediebant, ut pleraque verba olim tertiae conjugationis fuisse demonstrarent. Non enim promiscue omnia verba ita usurpantur, sed tantum *dissyllaba, quae priorem syllabam habent brevem*. Itaque semper corripiuntur *abi* et *redi*, nunquam vero *exi*, semper *vale*, nunquam *salve*. Ut rem paucis exemplis demonstrem, omnes hi imperativi ambas syllabas habent breves; *abi* Rud. III, 6, 17. IV, 3, 88 Trin. II, 4, 105. Mostell. V, 1, 32. — *cave* Aulul. IV, 2, 1. Captiv.

Digitized by Google

Reizius malebat: *et vide ut scribas.* Both. *Addone id.*

III, 4, 27. Curc. II, 3, 78. Epid. V, 2, 3. Pers. IV, 5, 10. Rud. IV, 4, 45. Trin. II, 4, 112. 158. — *habe* Poen. IV, 2, 32. — *jube* Amphitr. V, 1, 74. Mostell. II, 1, 79. Producitur Capt. IV, 2, 63. sed ibi personae mutantur. Hermannus Element. doctr. metr p. 153. Asin. III, 3, 96. ita posuit, ut produci videatur; sed quanquam ibi caesura excusatur, ego tamen cum Mss. et ed. Pr. lego *jubes*, ut sit indicativus pro imperativo, ut passim. Mil. II, 2, 26. *Sis jubé transire*, sed cod. Ambrosianus apud Majum habet *hos jube*, ex quo appareret, Plautum scripsisse: *Hós sis jube — mane* Asin. I, 3, 76. Mostell. III, 2, 161. Rud. IV, 3, 1. 8. 78. — *mone* Mostell. I, 3, 30. — *pave* videtur produci Pseud. I, 1, 101. sed ibi e lineamentis ed Pr. erno *paveas*. Idem fortassis restituendum Amphitr. V, 1, 58. quanquam productio ibi interpunctione excusatur. — *redi* Aulul. I, 2, 3. — *roga* Pseud. I, 1, 112. — *suade* Truc. II, 3, 9. — *tace* Curc. II, 3, 78. Epid. V, 2, 3. Pers. IV, 5, 10. Poen. IV, 2, 84. Menaechm. II, 3, 63. legi debet *quin tu tace modo*. — vale Rud. II, 2, 18. — *vide* Poenul. I, 2, 146. Trin. II, 6, 18. producitur Poen. I, 3, 32. sed ibi sine dubio versus ab initio mutilatus est; nam adeo *videlicet* est proceleusmaticus Mostell. IV, 2, 64. Pauca quaedam ex his reperiuntur etiam apud Augusteae aetatis poetas, ut *cave* et *vide*. Alia, quae eam in rem adferuntur exempla, nihil probant. Larga manu congesserunt Burmannus ad Anthologiam vet. lat. ep. V, 38, 6. idem ad Lotich. III, Eleg. 1. p. 180. Scriver. ad Martial. III, 26. Barthius ad Grat. Cyneget v. 461. et Burmannus ad eundem locum in Poet. minor. Tom. I. Heindorfius ad Horat. Sat. II, 3, 38. et Seyfertus Grammat. Latin. §. 3021.

Digitized by Google

Aulul. II, 2, 39.

Semper sum arbitrātus et nunc arbitror. EU. aurum huic olet.

3027 sqq. Sed sunt omnia aut e locis corruptis, aut exstant apud sequioris aevi et pessimae notae poetas, qui omnia sibi licere putabant, aut correptio excusatur sequente vocali Sed si quaeratur, unde nata sit tanta inter ejusdem gentis poetas discrepantia, non alia magis de causa id factum videmus, quam quod antiquiores illi naturam sequebantur et usum, epici vero et elegiaci poetae artem ac disciplinam, illi aures consulebant, hi grammaticae artis magistros. Quare ab illis praeter syllabarum quantitatem observabatur etiam accentus, hos praetervolabat. Et vere haec est illorum imperativorum ratio. Nam voculam pronuntiare dissyllabam, atque alteram syllabam, et breviorem quidem accentu notare, alteram eandemque longam deprimere, *cavē, vidē,* id prosus est contra naturam et vulgi consuetudinem. Dum enim prior i. e. brevior syllaba accentu evehitur, obscuratur altera, et quantum illi accedit ponderis, tantum huic detrahitur. Id non accidit aliis, veluti *salve praebe,* quae prisci illi poetae non minus constanter producunt, quam recentiores. Atque haec accentūs vis latius patet, quam cuiquam primo intuitu videri possit. Nam corripiuntur etiam ultimae syllabae nominum nonnullorum, veluti *domi* Epid. IV, 1, 36. Trin. IV, 1, 22. *heri* Mostell. I, 1, 27. *ut heri sui etc* · hero Mostell. IV, 1, 6. — *eodem modo* Aul. IV, 1, 11. Itaque semper pyrrhichium faciunt *ita, nisi, quasi,* et *sibi,* nunquam vero jambum, quod Bothio placet; et pro *sibi* et *quasi*, teste Quinctiliano, scribebātur *sibe* et *quase;* contra scribebātur *utei* pro *uti*, quod apud Plautum plerumque jambus est. Sed de his viderint ii, qui singulatim de accentibus linguae latinae scribere instituunt.

Digitized by Google

Mostell. III, 1, 59.

Jam hercle ego illum nomindbo. TR. Euge strénue.

Haec est genuina et antiquissimorum librorum lectio, quam nolim tanquam metro et sensui repugnantem sollicitasset Rostius V. C. in Plautin. Cuped. Ferc. IV. p. IX. revocans ex Aldina: *Jam ego hercle nominabo illunc*, et ex ingenio substituens: *age strenue*. Neutrum placet. Illud fluxit e communi omnium fere corruptelarum fonte e Parmensi 1510 et Veneta 1518. quarum tanta erat auctoritas, ut Juntina et Aldina eas fere semper sequerentur. Ibi enim Ugoletus et Grapaldus verba transposuerunt, his additis: *ita versus scribendus metri necessitate, non: iam hercle, quia non consisteret, et pedibus tantum quinque ambularet.* Ceterum etiam *euge* recte se habet; est enim particula admirantis et laudantis, sed h. l. ut saepe cum ironia, ut Mil. II, 2, 58 et 86.

Mercat. I, 2, 71.

CH. Qui potuit vidére? AC. oculis. CH. quó pacto AC. hiántibus.

Both. *Qui vid. pot. - - - pactod.*

Digitized by Google

Ib. IV, 3, 33.

Non tú scis quae sit ílla? LY. imo etiám scio.

Both. *illaec.*

Pseud. I, 1, 29.

Lege, vél tabellas rédde. PS. imo enim péllegam.

Both. *imo etenim*, quod, ut leniter dicam, absurdissimum est. Nam *enim* ut gr. γαρ in responsione usurpatur, sed non *etenim*. *Pellegam*, ita semper scribi debet, non *perlegam*, ut Bothius dedit, nec solum in Plauto, sed in omnibus scriptoribus. Cf. Prisc. an. L. I. p. 571. Putsch.

Ib. v. 80

Numquíd peccatum'st, Símo? SI. imo máxime.

Both. *numq. Sim. pec.*

Poen. V, 2, 81.

Populáritatis caúsa. PO. habeo grátiam.

Both. *causad.*

Huc pertinet etiam *Cist. II*, 3, 9. si vera est lectio, quam Osannus Analect. crit. p. 114. nescio unde dedit:

Extímuit tum illo? ME. hórret corpus, cór salit.

Ed. Pr. pro *illo* habet *illa* et *jam* ante *horret*.

Digitized by Google

Ib. v. 12. 13.

Age pérgè, quaeso! ánimus audire éxpetit,
Ut rés sit gesta. ME. útinam audire nón queas.

In priore versu Bothius complementum suum *te* post *quaeso* interposuit, in posteriore: *ut gesta res sit.*

In ejusdem *Cistellariae fragmentis* ab Ang. Majo inventis *v.* 34. ap. Osan. p. 211.

A. Quid fáciam? B. ad matrem éjus devenids domum.

Aulul. II, 4, 28.

Imo équidem credo. ST. dt scin' etiam quómodo?
Both. *credod.*

Curcul. I, 1, 41.

Oblóquere. PA. fiat máxime. PH. etiámtaces?
Both. *maximed.*

Mil. IV, 8, 5.

PL. Philocomasium sálve. PH. et tu sálve.
PL. materque ét soror.

Stich. II, 2, 49.

DI. Vénit inquam. PA. tún' eum ipsum vídisti. DI. ita egó: libens.

Digitized by Google

Bacchil IV, 2, 18.
Quid ais tu? PA. ego istuc illi dicam. PJ. dic mihi.

IX.

Quo accuratius rationem naturamque versuum Plautinorum consideramus, tanto magis apparet, Comicum nostrum sermonis quotidiani et tralatitii consuetudinem vel in rebus tenuissimis verissime expressisse. Ita solemus omnia orationis membra et incisa inter loquendum respiratione et mora quadam, scribentes interpunctione distinguere. Ibi hiatum nihil offensionis habere, nemo non concedit, nisi cui plus justo superbae ac fastidiosae sint aures. Sensit hoc is, qui et ingenio et arte princeps censetur inter Romanorum poetas, Virgilius. Hic enim adeo orationis membra notabat, ut non caesura solum, sed etiam hiatu ea dirimeret, veluti

Eclog. II, 53. Addam cerea pruna, honos erit huic quoque pomo.

Digitized by Google

III, 6. *Et succus pecori, et lac sùbducitur agnis.*

Ib. 63. *Munera sunt lauri, et suave rubens hyacinthus.*

VII, 53. *Stant et juniperi, et castaneae hirsutae.*

X, 13. *Illum etiam lauri, etiam flevere myricae.*

Atque etiam Plauto ita visum esse, e multis ejus locis apparet.

Curcul. I, 1, 46.

Eam vólt meretricem fácere: ea me déperit.

Ib. III, 80.

Conclúsi — itidem ut púlli gallinácei.

Aul. IV, 4, 22.

Nóvi sycophántias, age! rúrsum! — ostende húc manum.

Both. *rursus*, sed elegantiore hac forma non usus est Plautus. p)

---

p) Eadem corruptela occupavit Plauti fragmentum apud Festum v. *canitudinem pro canitie. Plautus: Stultus est adversus aetatem et capitis cantudinem*; ubi e cod. Reg. Berol. legendum *adversum*. Ceterum nominum forma in *tudo* apud priscos frequentissima est. Apud Plautum occurrit *albitudo*, *bellitudo* apud Varronem: nam ita scribi debet Fest. v. *bellitudinem sicut magnitu-*

Digitized by Google

Asin. Prol. 10. lege:

Nunc quód me dixi vélle vobis dícere,
Dicám! Huic nomen graéce onago'st fábulae.

Ita est in ed. Pr. Bothius mira quadam καινοτομία fecit *hujic.* Ceterum non possum assentiri Osanno, totum hunc Prologum tanquam nimis jejunum a Plauto abjudicanti, q) et potius cum G. H. B. Wolffio, r) V. C. inter versum octavum et nonum excidisse aliquid puto. Etenim in ipsa, quam ille accusat, jejunitate multum video leporis. Nam orditur Prologus a magnifica compellatione magnarumque rerum exspectationem concitat, qua dum tenemur animoque suspenso scire avemus, quid dignum tanto sonet hic promissor hiatu; alia omnia eveniunt, sequitur nihil, ac nos delusos esse et hominem dicacem fumum vendidisse animadvertimus. Ejusmodi loca plurimum juvantur arte histrionis.

---

dinem Verrius dixit. Pro Verrius ed. Veneta 1490 fol. habet *Varrus,* cod. Reg. Berol. *Varro,* quae vera est lectio.

q) Analect. crit. p. 170.

r) De Prologis Plautinis p. 5.

Digitized by Google

Quare conjunctio disjunctiva *aut* saepenumero non eliditur.

Asin. IV, 1, 59.

Ancillam ferre Véneri aut Cupídini.

Hermannus Elem. doctr. metr. p. 190. hunc hiatum nomine proprio excusandum putat, de quo dubito. Ceterum *suam* post *ferre*, quod recte omisit Hermannus, deest etiam in ed. Pr. Both. *Venerid.*

Pseud. I, 1, 17.

Juvábo aut re, aut ópera, aut consilió bono.

Both. verbis transpositis: *Aut re juv.*

Poen. V, 2, 49.

Quíd in hánc venistis úrbem, aut quid quaéritis?

Similiter Virgil. *Eclog. VIII*, 44.

Aut Tmaros aut Rhodope, aut extremi Garamanthes.

VII, 23. *Versibus ille facit. Aut si non etc.*

Ovid. Metam. III, 184. Nubibus esse solet, aut purpureae aurorae.

Juvenal. VI, 247. *Quis nescit, aut quis non vidit vulnera pati.*

Digitized by Google

X.

Solemus etiam, natura ita ferente, *in exclamatione* orationis cursum inhibere, quae mora eam habet vim ut hiatus aures praetervolans nihil offensionis habeat. Hoc primus observavit Seidlerus [s]) in tragicis graecorum poetis. Quod quum tragici et Attici sibi indulserint, non dubium est, quin cum comici, tum potissimum Siculi poetae idem fecerint. Nec desunt exempla hujus rei in fragmentis comicorum; sed quum nunc apud plerosque major sit auctoritas conjecturarum, quam codicum manuscriptorum, eorum numerus indies minuitur. Quoquo modo se res habet apud Graecos, Plautum quidem in exclamatione non abhorruisse ab hiatu, satis me demonstraturum confido.

Asin. II, 2, 9.

Meá quidem hercle! ópera liber núnquam fies ócius.

s) In Epistola critica ad Lobeckium, addita Sophocl. Ajaci ed Lobeck. p. 436. et De versibus dochmiacis p. 80. sqq.

Digitized by Google

quanquam hic hiatus etiam a fine dipodiae excusatur. Ceterum omnes libri ita habent. Bothius-Reizium taçite secutus, in quo minime eum sequi debebat, verba transposuit: *Mea q. h. l. o n.*

Aulul. II, 2, 43.

Hei Megadore! haúd decorum fácinus tuis factís facis.

Hei pro vulgato *heia* habet cod. Vrat. et ed. Pr. rectissime. Nam magis convenit *hei* sermoni senis timidi et ingemiscentis ac deludi se ab altero suspicantis, quam *heia*, quod non nisi in cohortatione et ironia locum habet. Ceterum provoco ad judicium aurium, quae etsi in his rebus non solae possunt esse arbitrae, tamen in consilium vocandae sunt et prae digitis reverenter habendae.

Ib. II, 8, 22.

Perii, hércle! aurum rápitur, aula quaéritur.

Both. post *hercle* infersit *hodie.*

Ib. III, 6, 34.

Non pótem ego quidem hércle! ME. At ego jússero.

Both. mutavit *hercle* in *hoc die.*

Digitized by Google

Ib. IV, 8, 13:

At át! eccum ipsum! ibo ut hoc condám domum.

Bothius auribus male consulens: *hoc uti.*

Mil. IV, 8, 20.

O mei oculi! ó mi anime! PA. óbsecro, tene múlierem.

Both. *o mi animed!*

Mercat. IV, 4, 60.

Uxór! heus uxor, quánquam tu irata ès mihi.

Uxor in exclamatione ultimam habet pro longa. Bothius existimat, literam *r* finalem apud Plautum producendis valere syllabis. t)

---

t) Eandem hujus literae ab initio vocis positae vim in vocis praecedentis syllabam (ut apud Graecos est) statuit J. Fr. Gronovius Observat. II, 7. p. 203. sed exemplis utitur nihil probantibus. Nam Lucret. IV, 309. meliores cdd. habent: *inde retroversum redit et convertit eodem*, non *retrorsum*. Ib. v. 262. pro — — *tanquam aliqua res Verberet*, antiqua lectio est *aliquae res*. Cf. Wakefield ad utrumque locum. De forma *aliquae*. Priscian. L. XIII. p. 96. Putsch. Simile est *si quae* pro *si qua*, cf. Bentlej. ad Horat. Serm. II, 6, 10. Jam Acidalius docuerat, Plautum passim syllabam finalem *or* producere; Bothius, omnes omnino syllabas, quae in literam *r* desinunt, interdum produci a Plauto, multis demonstrare conatur ad Amphitr. Prol. v. 58. Placet, exempla, quibus

Digitized by Google

Ib. II, 2, 13.

Salvé! o quid agis? quid fit? DE. quod mi-
sérrimus.

---

hi duumviri sententiam suam confirmant, breviter percensere, quo facilius intelligatur, num ad liquidum perducta res sit.

Amphitr. II, 1, 9.

Tamén quin loquár haec uti facta súnt hic.

Versus recta se habet, sed nihil probat, nam *loquar* commode potest in tres syllabas dissolvi. Qua ratione tollitur unum, quod e prisco aevo circumfertur, exemplum genitivi in *ii.* in versu Ennii apud Donat. ad Terent. Hecyr. seu potius apud Servium ad Virgil Aen. *Tarqüini corpus bona femina lavit et unxit.* Quam viam quare non ingressus sit magnus Wolfius in not. ad Horat Sat. I, v. 3. nescimus.

Menaechm. II, 3, 10. (v. 273. Both.) metrum incertum est.

Poen. V, 6, 4.

Ut mé suspendam, ne ádduc ar Agorástocli.

Quid Bothius hoc versu probatum velit, nescio.

Aulul IV, 10, 49.

Méus fuit patér Antimachus, égo vocor Lycónides.

In *pater* ultimam esse ancipitem, dixerit aliquis, sequente nomine proprio.

Asin. IV, 2, 1.

Age décumbamus sis pater. DE. ut jússeris.

Hic personae mutantur.

Menaechm. IV, 2, 8.

Si paúper est átque haud malús: nequam habétur.

Bothius primo versum corrupit cumque suum fecit, deinde pro Plautino venditat; nam omnes libri scripti et impressi habent: *si ést pauper* etc. quod genus hiatus ab initio versus ferri potest.

Digitized by Google

Poen. I, 3, 21.

MJ. J. módo. AG. non hercle méream. àh! MJ. vah! ábi modo.

Cistell. IV, 2, 8. metrum valde incertum.

Amphitr. II, 2, 87.

Vérum non est púero gravida. AM. Quid igitur? SO. insánia.

Hic personae mutantur.

Stich. IV, 1, 23.

Quid agitur, Epignome? EP. quid tu etc.

Nomen proprium sequitur.

Rud. IV, 8, 22.

Ego nisi quum lusi, nil moror ullúm lucrum.

Ita Both. ed. pr. *ego mihi q.* Reizius verbis transpositis: *nihil égo* mihi quum lúsi, moror ullúm lucrúm.

Ib. IV, 3, 87.

Si tu proreta ísti navi es, égo gubernatór ero.

Gubernator est vox graeca. Reiz. inseruit *ei* ante *ero*.

Stich. I, 2, 88.

Hóstis est uxór — invita quae dd virum nuptúm datur.

Interpunctione diremtum est *uxor* a seq.

Poen. V, 2, 151.

I soror! Abscéde tu a me. AG. Péril! ecquid agis Milphio?

Est exclamatio. ed. Pr. habet *eo quid.*

Epid. V, 1, 49.

Séquere hac me, sorór. EP. ego ad vos Thésprionem jússero.

Hic personae mutantur; ceterum BothR. glossema illud *mea* recte expunxit; deest etiam in ed. Pr.

Asin. V, 2, 77.

Jam óbsecro, uxor! AR. Núnc uxorem me esse meministi tuam?

Módo quum dicta in me ingerebas, ódium, non uxór eram.

Digitized by Google

In *Cistellariae fragmentis* a Majo inventis

v. 24.

Utrúm deliras, quaéso, an amans sómnias?

Praecipua quaedam vis est in *uxor*, quod nexus docet. Reiz. *uxor non eram, odium.*

De *Mercat IV*, 4, 60. supra dictum est.

Rud. I, 3, 12. (v. 16. Reiz. v. 110. Both.) metrum admodum dubium. *honor*

Amphitr. I, 1, 68.

Deinde uterque imperatór in medium éxeunt.

Ed. Pr. *utrique imperatores*, quod ego genuinum censeo, sed scribendum *imperatore'*; prisci enim etiam in longis syllabis literam *s* omittebant, veluti Ennius ap. Fest. in *Sas.*

Virginé' nam sibi quisque domi Rómanus habet sat.

Simillimus huic locus est ejusdem Amphitr. I, 1, 74.

Imperatór utrinque hínc et illínc Jovi.

Ib. I, 3, 50.

Atque nox, quantó fuisti lóngior hac próxima.

Aulul. II, 2, 39.

Sémper sum arbitrátus et nunc árbitror. EU. aurum huíc olet.

Personae mutantur.

Epid. III, 2, 35.

Vorsútior es quám rotá figulâris. EP. iam ego parábo.

Versus mihi suspectus ob accentum male cadentem.

Bacchid. I, 2, 15.

I, stúltior es bárbaro Potítio.

Most. I, 1, 42.

Non ómnes possunt ólere unguenta exótica,
Si tú oles neque superior accumbere.

Ed. Pr. habét *sicut tu*, cdd. Pal. *si tu*. *Superior* quamvis sit in omnibus libris ferri nequit; nam praeter metrum etiam rationes grammaticae re-

Digitized by Google

v. 37.

Expurgabo hercle omnia usque ad raucam ravim,

ubi delendum est *usque*, quod etiam deest in Nonio, qui eundem hunc versum habet.

---

luctantur. Quare puto scriptum fuisse *superiore*, idque aut quartus casus numeri pluralis erit, aut supplendum *loco*, ut saepe, veluti Pers. V, 1, 15. *Tu, Sagaristio, accumbe in summo.* [Nisi quis ideo soloecismum ferendum censeat, quod *servus rusticus* loquatur. Quod ego nego ac pernego.

Mercat. II, 3, 77.

Hércle quin tu récte dicis ét tibi assentór ego.

Nummus a Bothio cusus! Ed. Pr. Veneta II et III, habent *assentior* et omittunt *ego*. Veneta 1518. *et tibi ego assentior*, item Juntina, Aldina et Cratandria. Vulgatum *et tibi assentior ego* dedit Camerarius, quem sequuntur omnes, nullo excepto, praeter Bothium, qui jure in numerorum inconcinnitate offendebat. Mihi praeplacet *ét ego assentior tibi.*

E tanta igitur farragine, quam Bothius ad rem suam probandam congessit (sunt autem viginti quinque loci) ad summum quatuor idonei reperiuntur testes, quorum testimonio efficitur hoc, *nominum quorundam, maxime comparativorum, syllabam finalem or apud Plautum esse ancipitem.* Cujus rei hanc causam deprehendisse mihi videor, quod prisci Latini pro litera *r* in multis vocabulis literam *s* adhibuerunt. In exemplis, quae Varro de L. L. VI, 3. adfert, est etiam *junitos* pro *janitor;* et Festus: *r pro s litera saepe antiqui posuerunt, ut majosibus,* meliosibus. Syllaba *os* vero apud Latinos producitur.

Digitized by Google

Praeter alios multos etiam hic locus documento est, Ambrosianum Plauti codicem jam interpolatum habere textum.

XI.

Est aliud hiatus genus huic nostro non dissimile, ubi verbum, in quo praecipua quaedam vis inest, ponitur in initio versus trochaici, ita quidem, ut tribracho pro trochaeo posito, tanta arsei addatur vis, ut hiatus, qui est inter arsin et thesin, non animadvertatur. Nunquam tamen Plautus in puris trochaeis hoc sibi indulsit, quod Pindarum factitasse, observavit Boeckhius in notis crit. ad Pindar. Olymp. VII, 2.

Mercat. I, 2, 69.

Túam amicam. C. quíd eam? A. vidit. C. vidit? vaeh miserô mihi.

Ib. II, 4, 11.

Túam amicam. CH. nímium multum scís. EU. Tuis ingrátiis.

Ed. Pr. mendose: *tu is ingratus*, ex quo apparet, in Mss. fuisse *ingratiis* non ingratis. Bentlejus ad Terent. Adelph. IV, 7, 26. *Certum est*, inquit, *nec Nostrum nec*

Digitized by Google

Plautum usquam dixisse ***gratis****, semper* ***τρισυλλάβως gratiis.***

Ib. V, 2, 4.

Dómi erat quod quaéritabam! séx sodalis réperi.

Most. V, 2, 57.

Ibi utrumque et hóc et illud póteris ulcisci probe.

Amphitr. I, 1, 306.

Uti ego hodie ráso capite cálvos capiam pileum.

Scripsi *uti* pro *ut*.

XII.

Etiam *nominibus propriis* hoc tribuitur licentiae, ut elisionem negligere possint. Sed ingenuè fateor, me huic licentiae cum in universum, tum maxime in versibus Plautinis vehementer diffidere. Nam quae Hermannus Element. doctr. metr. p. 88 et 190. hanc in rem adfert, ea omnia, nullo excepto, a caesura aut aliunde satis excusationis habent, et Aulul. III, 6, 33.

Potáre ego tecum hódie Euclió volo,

legi potest *hoc die*, quanquam cod. Vrat.

Digitized by Google

ed. Pr. et omnes antiqui libri habent *hodie.*

Hoc unum concedo, nomina propria a Plauto, quo distinctius audiantur, plerumque collocari in eo versus loco, ubi et aliis de causis hiatus legitimus est. Ita factum videmus in omnibus locis ab Hermanno congestis.

XIII.

Sed quod maxime memorabile est, apud Plautum vocabulum *homo* plerumque ita ponitur, tanquam non a vocali, sed a consonante incipiat. Constat, recentiorem Italorum linguam carere adspiratione (exceptis quatuor vocabulis *hó, hai, ha, hanno*) et abjicere eam in omnibus vocibus, quae in latina lingua adspirantur, veluti ex *habitator, hasta, horrendus* fit *abitatore, asta, orrendo.* In una voce *homo* mutaverunt in *v, uomo.* Ex quo non inepte aliquis suspicetur, hanc vocem apud quosdam ex iis populis, e quorum colluvie plebs et lingua Romana coaluit, adspirationem habuisse reliquis vocibus adspiratis sonantiorem,

Digitized by Google

eamque non literis monumentisve, sed indocto plebeculae ore per tot seculorum decursum esse servatam posterisque traditam. De hoc similibusque vocabulis intelligo locum Diomedis L. II. p. 417. Putsch. *H interdum consonans, interdum adspirationis creditur nota.* u) Videntur vero potissimum Sabini, ut apud Graecos Aeoles, pro adspiratione in multis verbis literam *v.* adhibuisse, ut *voedus, virous, variolus* pro *hoedus, hircus, hariolus* dicerent, quod apparet e multis veterum grammaticorum locis, quos omnes collegit Seyfertus in Grammaticae Latinae Tom. I. p. 47. Loca Plauti sunt fere haec:

Aulul. I, 2, 33. omnium codicum lectio est;

Nam non est verosimile hominem pauperem.

u) Neque enim puto, Diomedem respicere suae aetatis poetas, quorum nonnulli omnia sibi licere putabant. Qui postea vixerunt, veluti Arator, Aldhelmus alique adspirationem passim pro consonante usurpant. Cf. Gronov. Observat. in scriptor. eccles. c. XV. p. 156. Quod utrum fecerint novandi studio, an doctrinam ostentantes suam, quia ita factum esse a priscis scirent, non audeo definire.

Digitized by Google

Pylades, metri necessitate cogente, ait, scribendum esse *nam verosimile non est.* Hunc deinceps sequuntur omnes usque ad Camerarium; Bothius etiam Pyladem sequitur.

Ib. II, 2, 49, 50.

Venit hoc mi, Magadóre, in mentem, té esse
hóminem dívitem,
Fáctiosum, mé item hóminem paúperum pau-
pérrimum,

si vera est haec Gruteri lectio; nam omnes ante hunc habent: *venit hoc mihi in mentem* M. v. 50. in omnibus ante Gruterum libris post *item* est *esse.*

Asin. IV, 1, 11.

Aliénum hóminem intromittat néminem.

Ita omnes praeter Pyladem, qui ante *neminem* injecit *ad se.*

Most. III, 1, 65.

Quid tú homo hóminum ómnium tetérrume,
Venísti huc extentátum?

Ita omnes antiqui, Pylades: *quid tu nunc hominum te omn.* Rostius Plautin. Cup. Ferc. IV. p. X. legi vult: *quid tute homo.* Vetus lectio non sollicitanda. Ceterum extenta-

Digitized by Google

tum nemo interpretum recte intellexit, nec Forcellinus, nec Rostius; quare fere omnes mutandum censuerunt, Rostius in *extenuatum* (*h. e. exhaustum et exinanitum*). Verum vidit Wakefield ad Lucret. III, 489. interpretatur enim: *cujus rei vis facere periculum tam fortiter et efficaciter. Ex* saepenumero augendi vim habet, ut in *exclamare, expostulare.*

Menaechm. III, 2, 24.

Flagitium hominis súbdole ac minimi preti.

Ib. 50. 51.

— *Nón tu abis quo dignus es?*

Aut té piari júbe homo insanissime.

Jube est in ed. Pr. Veneta II et III. Illud *jubes* sine dubio Pyladis est commentum, nam primum inveni in Veneta 1518. deinde omnes receperunt. Et commode locum potest habere modus imperativus, nam interrogatio, quae ante eum est, imperandi vim habet.

Bacchid. IV, 8, 63.

Ne súpplicare cénseas, nihili homo.

Rud. I, 1, 43.

Eoquém tu hominem crispum, incanum víderis.

Digitized by Google

Ibi recte Bothius ob nexum delevit *hic* ante *hominem*, quanquam habent omnes libri.

Menaechm. V, 9, 29. 30. lego:

Nón ego hominem hómini similiórem vidi unquam álterum, x)

x) De pronomine *alter* disceptationem nuper movit G. P. E. Wagner, V. Cl. ad Elegiam ad M. Valer. Corvinum Messalam p. 43 et 73. sqq. Negat enim, *alter* usquam dici pro *alius*, aut *alius* pro *alter*, aitque *alter* semper esse nostrum *ein zweiter, der andere*. Mihi quidem res ita videtur: Triplici potissimum ratione, praeter vulgarem usum, pronomen *alter* usurpatur. *Primum* ut sit fere idem quod *secundus, ein zweiter*, ut Horat. Sat. I, 1, 40. *dum ne sit te ditior alter*. Cf. Heindorf. ad h. l. Apud Plautum Amphitruo *pernego*, inquit, *quando Thebis praeter me nemo est alter Amphitruo*. Huc etiam referri possunt ejusmodi formulae: *si quis alteri injuriam faxit*, etc. ibi enim non est pro *alii*. *Deinde* ponitur pro *unus, ullus*, ut *nemo alter* sit i. q. *nemo ullus, nemo unus, nemo quisquam*, quae saepius occurrunt. Plaut. Amphitr. I, 1, 1. *Qui me alter est audacior homo? Wo ist nur Einer, der k.* Most. V, 1, 24. *Alter hoc Athenis nemo doctior dici potest. Durchaus keiner* etc. Item Amphitr. IV, 3, 12. Cist. IV, 1, 8. Pers. IV, 4, 16. Poen. IV, 2, 5. Mil. III, 1, 65. et noster Menaechm. locus, in quibus omnibus notio *secundi*, quam ille vult, prorsus inepta foret ad sensum. Eodem fere sensu dicitur *nemo alius, nullus alius*, ut Mercat. I, 1, 99. *ecce ad me advenit mulier, qua mulier alia nulla est pulcrior. Tertio* denique est i. q. *alius*. Tibull. IV, 1, 18.

Digitized by Google

Neque aqua aquae, neque lácte est lácti, mihi crede, usquam símilius.

V. 29. *nam* mutavi in *non* et *nunquam* in *unquam*, et v. 30. legebatur *crede mihi*, quod nusquam occurrit apud veteres, nam semper dicunt *mihi crede.*

Rud. IV, 5, 3.

Satin', si quoi homini dei esse benefactúm volunt,

non opus est, ut cum Reizio scribamus *quoji.*

Curc. IV, 3, 45.

Quoi hómini dei sunt própitii, lucrum et profecto objíciunt.

Most. IV, 2, 33.

Quoi homini? P. hero nóstro, quaeso quóties dicundúm'st tibi. Pers. I 2 31

XIV.

Recensuimus leges, quas Plautus in hiatu observasse nobis videtur, non illas qui-

---

I, 9, 79. Alia loca exhibent Gesnerus et Forcellinus in Thesauris. Sed et *alius* interdum ponitur pro *alter*, ut Captiv. Argum. 2 et 9. qui locus est instar omnium.

Digitized by Google

dem temere a nobis excogitatas aut ex disciplinae cujusdam praeceptis ductas et in Plauti versus illatas, sed e diligenti ejus lectione et accurata prosodiae, accentuum et metrorum observatione ipsaque sermonis humani natura depromtas. Exempla quanquam in immensum augeri poterant, tamen plura, quam quae sufficerent ad rem nostram demonstrandam, addere noluimus. Ex iis vero, quae a nobis disputata sunt, si operae ratio constat, sequitur, omnes locos, in quibus hiatus nostris rationibus non potest excusari, alicunde vitii aliquid traxisse, ad quod investigandum hiatus ipse viam potest monstrare. Ejusmodi vero loci, ut nullo corruptionis genere immunis est Plautus, in nostris exemplaribus passim occurrunt, quos egomet omnes emendandos aut ut spurios abjiciendos esse censeo. Res ipsa monet, ut eorum quosdam adferam.

Asin. Prol. 4. apud Gronovium est:

Face jám nunc tu praeco ómnem auritúm populum,

levi transpositione juvatur: *face núnc iam tu* etc. *Jam*, si praecedit *nunc*, dissyllabum

Digitized by Google

est apud Plautum. Ceterum *auritum facere* est *attentionem alicujus movere, audientiam ei facere*, ut est in Prologo Poenuli. Pro *face* antiquissimae editiones habent *ecce*, ex quo Gulielmus fecit *exci*. Sed iam Laurentius Valla suspicatur, legendum esse *face*, quod Pylades in antiqq. cdd. se reperisse testatur.

Ib. I, 1, 77. sqq.

Cupis id, quod cupere té necquidquam intéllego;
Dotálem servom Saúream uxór tua,
Addúxit, quoi plus ín manu sit, qudm tibi.

Ita est in ed. Pr. Veneta II et III. Pylades fecit *Sauriam nam*. Juntina, Aldina et Cratandria *Sauriam*. Dousa et Camerarius itemque Curio, quem Taubmannus Ne-Curionem dicit, mutarunt in *Saurean*, quod Bothio elegantius videtur, quam *Sauream*. Quae qualis sit elegantia, videant elegantiores homines. Si dicendi elegantia est in verbis electis, propriis, aptis, concinnaque *et pura* oratione, non video, quomodo placere possit peregrinitatis adfectatio in scriptore Romano, nedum in poeta comico.

Digitized by Google

Nam etsi epici graecas nominum formas interdum sectantur, comici tamen studiose devitant. In ejusdem scenae v. 44. est: *noster est Leonida*, non *Leonidas*, et ita semper. Cf. Priscian L. VI. p. 679. Putsch. et Bentlejus in Epist. ad Millium p. 517. sqq. ed Lips. Davisius et Heindorfius adeo Ciceroni latinas formas restituerunt rectissime, ut puto, et e codd. Cf. Heindorf. ad Cic. de Nat. Deor. II, 2. p. 125. III, 22 et 23. p. 336 et 342. Quare et Amphitr. II, 2, 217. scribendum est *Naucratem*, non *Naucraten*, ut Bothius dedit contra codicum et edd. antiqq. fidem, et nostro in loco restituendum *Sauream*. Sed metrum refragatur? Veram hujus loci emendandi rationem Hermannus olim mihi subministravit, quum hoc duce Plautum tractare coepissem:

Dotálem servom Saúream ne uxór tua,
Adduxit etc. pro *adduxerit*.

Ib. II, 1, 15.

Séd quid est, quod pícus ulmum túndit, non
temerárium'st:

Digitized by Google

Certe hercle ego quantum ex augurio auspici intellego.

Ita omnes libri et manu et typis scripti. Merula suspicatur, legendum esse: *auguriod auspicioque*, quod Guietus et Bothius receperunt. Eodem modo Reizius, omisso illo *d* insiditio, ita tamen ut *augurio* in fine corripiatur. Idem proposuit Pareus in anim-adv. tertiae Plauti editioni a se factae adjectis. Nisi omnia me fallunt, Plautus scripsit:

— — *quantum ex augurio auspico atque intellego*;

nam *augurium* et *auspicium* idem fere esse constat. Festus v. *augur ab avibus gerendoque dictus, quia per eum avium gestus edicitur*; nam ita legi debet e cod. Reg. Berol. et ed. Veneta 1490. apud Gothofr. est *educitur*, apud Dacier. *ediscitur*. Idem v. *auspicium ab ave specienda*, ut est in eodem cod. non *spicienda*.

Aulul. III, 3, 1. sqq.

Hóc quidem, quoquo ibo, hercle, mécum erit, mecúm feram.

Digitized by Google

Néque istuc in tantis periclis únquam committam út siet.
Ito sane núnc intro omnes ét coqui et tibícines,
Et etiam introdúce, si vis, vél gregem vendílium.

In v. 1. inde a Camerario a. 1552. legitur *nunc* post *ibo;* receperunt hoc omnes deinceps. Primus Gruterus omisit, post hunc Patavina. *Nunc* sine dubio intrusit Camerarius, non monito lectore; ego metrum transponendis verbis restitui. In v. 3. in omnibus post *nunc* legitur *jam,* quod metrum turbat, nam post *nunc* semper est dissyllabum; ortum e voce sequente delevi. Pro *ite* in cod. Vrat. est *ita.* v. 4. ante *etiam* excidit *et* quod ego restitui. *Et etiam* pro *atque adeo* occurrit quoque apud Ciceronem, cf. Schütz. Doctr. particul. L. L. p. 174. sq.

Menaechm. V, 9. 95. sqq.

Auctio fiét Menaechmi mane sane séptimi,
Vénibunt servi, suppellex, aédes, fundi, ómnia,
Vénibunt quíqui licebunt, praésenti pecúnia,

Digitized by Google

Uxor quoque etidm venibit, si quis emtor venerit.

Nihil mutavi praeter verborum ordinem et interpunctionem v. 96. est enim in omnibus libris *fundi, aedes;* ego transposui, cum ut hiatus vitaretur in illo loco vitiosus, tum ut gradatio, quae inest, juvaretur. Non mirum est, neminem interpretum hunc locum nobis explicuisse, qui in omnibus libris ita interpungitur, ut intelligi nequeat. Nam quaeso, quid hoc est: *omnia venibunt, quiqui licebunt.* Nos dedimus, ut sententiae concinnitas jocique festivitas postulat. Ubi singulatim et conceptis verbis edixit, se omnia plus licitantibus addicturum, addit, quod nemo exspectaverat, se omnes adeo homines venditurum, omnes, quorum ab emturientibus pretium offerretur. Alle sollen verkauft werden, auf welche gebothen wird. Sed simul inest nequitia; nam quinam hi possunt esse, nisi parum pudici, qui ipsi sese venditant. Denique v. 98. pro *venibit uxor q. e.* ita disposui verba, ut usus postulat. Nam quod Bothius dedit: *uxor venibit q. e.* id propterea mihi displicet, quod

Digitized by Google

quoque etiam semper subjecto adjicitur, nullo verbo intercedente, ut Amphitr. Prol. 30. *atque ego quoque etiam.* v. 81. *hoc quoque etiam.* Eodem modo Epid. II, 2, 50. IV, 2, 19. Mercat. II, 2, 56. Pseud. IV, 1, 22. Pers. I, 3, 65. Poen. Prol. 40. Trucul. I, 1, 77. IV, 2, 18. Terent. Hec. V, 1, 35. Ceterum novo modo nostrum locum explicuit Rostius Plautin. Cuped. Fercul. III. p. VIII. sqq. Ille enim, qui negat, *licere* per se unquam idem esse ac *vendi et aestimari*, omnem hanc locutionem elliptice intelligit, ita quidem, ut *quiqui* sit tertius casus pro *quoiquoi*, supplendumque sit *emi*. De quo mihi quidem nunquam persuadebit.

Mostell. V, 1, 71.

Sed eccum tui gnati sodalem video huc incedere.

Pro *huc* ed. Pr. habet *hic*, quod sine dubio ortum est e genuino *illic* per compendium scripto.

Poenul. V, 3, 18.

Tua pietas nobis plane auxilio fuit.

Digitized by Google

Hoc habent omnes libri, neque tamen hiatus ferri potest. Scribendum esse puto *deplano*, i. e. *prorsus, penitus*, ut est apud Lucret. I, 412. *Hoc tibi deplano possum promittere, Memmi.* Ita enim hunc locum cum Wakefieldo intelligo, non ut Forcellinus in Thesauro v. *planus* ut sit *facili negotio, nullo labore, non multa opera et cura adhibita.* Amat Plautus adverbia composita a praepositione *de*, quae plerumque augendi vim habet, ut *derepente, desubito, de praefacili*, ut habent edd. et ed. Pr. Epid. V, 2, 21. *compacto* et *decompacto* Captiv. II, 3, 24. 29. Huc pertinent quaedam Festi glossae: v. *deditu intelligitur valde data. Deperire valde perire*, in cod. Reg. Berol. additur *valde amare. Delata valde lata*; hanc glossam, quam in nullo libro edito inveni, exhibet idem cod. Reg. Berol. *despretus valde spretus* et id genus alia.

Pseud. I, 5, 7.

Atque id iam pridem sensi et subolet mihi.

Ita antiquissimae editiones, Pr. Veneta II et III. Sed quum Pylades hiare versum sentiret, ad vulnus conglutinandum injecit

Digitized by Google

ego, quod e communi omnium corruptelarum fonte, ed. Veneta 1518 pervenit in Juntinam, Aldinam, Cratandriam, Camerarii, Curionis, Dousae, Sambuci, Lambini, Taubmanni priorem et alteram, Parei et Boxhornii. Primus omisit Gruterus, post hunc Gronovius, ed. Patavina, Bipontina utraque et Viennensis. Offendit temporum diversitas, quanquam non ignoro, quae monuit Drakenborch. ad Liv. III, 46. Quidni scripserit: *sensi et suboluit?* Sed *subolet* non nisi in tempore praesente usurpatur, jungiturque saepe *sentio*. Trin. III, 2, 72. *video, subolet sentio*. Quare quovis pignore contendere ausim, Plautum scripsisse:

— — — — *sentio et subolet mihi.*

Sensi ortum e *sentio*, cujus extrema syllaba cum sequente vocali coalescit. Fortassis etiam ab eo profectum, qui nesciret, *jam pridem* jungi cum tempore instante verbi infecti, sive de actione usurpari incepta ac nondum perfecta, sed perdurante, ut Cic. ad Attic. II, ep. 5. *Jam pridem cupio Alexandriam visere.* Bothius, antiqua lectione servata, hiatum ferendum censet,

Digitized by Google

quod ultima syllaba in *sensi* corripiatur. Ita nullum est vitii genus, quod Bothius non probet, amet, propaget, dummodo displiceat aliis.

XV.

Restat, ut de *elisione*, quae contraria est hiatui, pauca dicamus. Ac primum quidem, si quaeratur, quae fuerit ejus ratio, numque eam habuerit vim, ut alterutram e literis coeuntibus prorsus absorberet, ante omnia tenendum est, duplicis eam generis esse, *συναλοιφήν* et *ἔκθλιψιν*. Ut ab hac potissimum incipiamus, ingratus literae finalis *m* cum sequente vocali concursus dicitur *ἔκθλιψις*. y) Ejusmodi loca in scholis nunc vulgo ita leguntur, ut illud *m* penitus devoretur. Hanc rationem falsam esse, in-

y) Eodem fere modo eam describunt Sosipater Charisius IV. p. 249. Diomedes II, p. 437. Valer. Probus p. 1440. Donatus p. 1772. Marius Victorinus p. 2510. Putsch. Sed, quod merito quis miretur, omnes ad unum eodem utuntur ecthlipsis exemplo: *Multum ille*. Quanta egestas in summa rerum abundantia!

Digitized by Google

telligitur e loco Quinctil. Instit. Orat. IX, 4, 39. (Tom. III. p. 550. Spald.) „*Atqui eadem illa litera (m) quoties ultima est et vocalem verbi sequentis ita contingit, ut in eam transire possit, etiam si scribitur, tamen parum exprimitur, ut Multum ille et Quantum erat; adeo, ut paene cujusdam novae literae sonum reddat. Neque enim exprimitur, sed obscuratur et tantum aliqua inter duas vocales velut nota est, ne ipsae coeant.*“ Neque hoc quidem semper apud priscos factum videtur, ut patet e Prisciani L. I. p. 556. Cf. Wakefield ad Lucret. I, 362, II, 465. III, 197. Herman. Elem. doctr. metr. p. 61. sq. Eadem fere ratio est συναλοιφῆς. Pronunciabant vocales coeuntes, ut quidem audirentur, sed ita, ut in unam syllabam coalescerent. [2]) Idem videtur statuere Hermannus p. 62. sq. his verbis: *Latini non elisione, sed synizesi usi vi-*

2) Quinctil. Inst. Orat. XI, 3, 33. (Tom. IV. p. 352. Spald.) „*Ut est necessaria verborum explanatio, ita omnes computare et velut annumerare literas molestum et odiosum. Nam et vocales frequentissime coeunt, et consonantium quaedam, insequente vocali, dissimulatur.*“

Digitized by Google

dentur. Atque haec est propria ac nativa prisci sermonis pronunciatio, quae Ciceronis aetate Romae jam intermortua, certe affectatione infuscata erat. Nam Cicero suavitatis laudem, quae leni literarum appellatione continetur, tantum quibusdam familiis propriam tribuit, Laeliorum, Mutiorum, Catulorum, qui soli fere incorruptam antiquitatem servaverant. Huc pertinet Cic. De Orat. III, 12. ubi vasta, rustica et *hiulca* locutio pressae, aequabili, *leni* ut contraria opponitur. Non solum enim in versibus, sed etiam in prosa oratione elidebant. Quis enim sibi persuaserit, aliter in scena, a) aliter in foro et tabernis locutos esse Romuli nepotes? Quae res etsi ex omnibus Ciceronis disputationibus oratoriis atque etiam aliunde apparet, aliud tamen idemque manifestum addam argumentum, locum Ciceronis De Divin. II, 40. „*Cum*

a) Quinctil. II, 10. 13. (Tom. I. p. 516. Spald.) „*Actores comici nec ita prorsus, ut nos vulgo loquimur, pronunciant, quod esset sine arte, neo procul tamen a natura recedunt, quo vitio periret imitatio, sed morem communis hujus sermonis decore quodam scenico exornant.*“

Digitized by Google

M. Crassus exercitum Brundissii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, Cauneas clamitabat. Dicamus, si placet, monitum ab eo Crassum, caveret ne iret, non fuisse periturum, si omini paruisset.[a] Quid inde? Nonne haec clare et evidenter ostendunt, *cauneas* et *cave ne eas* eundem habuisse sonum? [b])

Idem valet de *synizesi*. Neque enim haec dijudicanda sunt e linguae Germanicae ingenio longe diversissimo. Nam etiamnum in Italorum poesi non placent versus absque synizesi, contra quo plures in iis vocales coalescunt, eo plus habent gratiae; quod secus est apud Germanos. Nam quae vel mitissima et auribus jucundissima quidam conati sunt, veluti:

---

b) Praeterea etiam hoc inde discimus, literae v. pronunciationem admodum lenem fuise et propius accessisse ad nostrum *w* quam ad *f*; quod ita esse, magis etiam apparebit ex iis, quae deinceps de vocibus *novus*, et *navis* dicentur.

Digitized by Google

Ein Irren in Elysiums goldnen Auen.
Und tönen ewig nur Mystérien wieder,

ea non omnibus probarunt. Haec vocales collidendi consuetudo multo magis obtinebat in prisco Romanorum sermone, quam Ciceronis et Augusti aetate, quo tempore qui elegantius loqui vellent, morem epicorum et elegiacorum affectabant, vocales singulatim et distincte pronunciantes. Apud priscos et, nisi fallor, seriore aetate apud plebem, per synizesin haec maxime efferebant: *ejus*, *ei*, *eum*, *eam*, *eo*, *ea*, *eis*, *eos*, *eas*, *eumque diem celebrant* apud Accium, *eosdem* adeo apud Propertium IV, 7, 7. 8. *eodem* apud Lucilium, *meus*, *tuus*, *suus* in omni genere et casu, (hinc grammaticorum glossae: *sis*, *sos*, *sas pro suis*, *suos*, *suas*;) *sua* apud Virgil. Eclog. VII, 54. cf. Voss ad h. l. *quoius*, *quoi*, *quoad*, *quousque*, *deus*, *dei*, *deos*, *deae*, *deas*, *seorsum*, *deorsum*, *proinde*, *deinde* (hoc nunquam est trisyllabum, cf. Burman. ad Anthol. Lat. L. II, 17, 14.) *antehac*, *fuit*, *fuisse*, *eunt*, *caudeam*, (Plaut. Rud.) *rei*, *aurei*, *deerit*, *deosculari*,

Digitized by Google

dehinc, lien, scio, nescio, navis, navem, novus, (cf. Bentl. ad Ter. Phorm. V, 8, 79.) *iuventus, aiebant, tueris, Nerei, praeopto, duo, diu, iit.* c)

Haec et alia multa antiquitus ab omnibus per synizesin efferebantur; quare quo antiquiores sunt poetae, eo saepius habent contractiones, quas vulgo dicunt. Sed epici poetae simulatque a versibus Saturniis ad dactylicos hexametros transierunt, etiam

---

c) Similiter apud Plautum composita verbi *jacio*, veluti *abjicio, objicio* saepe primam habent brevem. Eadem verba Norisius observavit, in codice Virgilii Mediceo semper una *i* scribi; Orthographia Norisiana p. 105. Item Duker. ad Flor. I, 10, 5. Heusinger ad Theodor. Mall. p. 45. In eodem codice semper scriptum erat *abit*, non *abiit*, cf. Heinrich ad Cic. Orat. part. ined. p. 101. Neque hoc praetermittendum, omnium vocalium maxime *e* et *i*, ut tenuissimas, coalescere cum aliis, prorsus ut apud Graecos, apud quos multa ex iis vocabulis, quae supra attuli, itidem synizesin subeunt, veluti δυοῖν, cf. Herman. Elem. doctr. metr. p. 53. τεὸν, quod ut unam eamque brevem syllabam in versu Praxillae commemorant Hephaestio. c. 2. Draco p. 146. et Eustath. ad Il. p. 12. θεῦ et θεαῖν apud tragicos. cf. Seidler ad Eurip. Electr. v. 134.

Digitized by Google

a communi dictionis consuetudine conversi sunt ad studium nova et inaudita dicendi et quae vel maxime a vulgari sermone recederent. Severiores erant novi carminis leges, opus jam erat brevibus syllabis, molesta erant tot vocabula monosyllaba, alia multa numeros dactylicos respuebant. Quare tanta secuta est commutatio dictionis, quantam apud Graecos factam esse, nemo poterit demonstrare. Distrahebant, quae commode distrahi posse, atque etiam ab aliis (tragicis poetis) passim distrahi viderent. Et vere ab hoc tempore Romae duplex in usu erat sermonis Latini pronunciatio; plebs, quae, ut jam Aristoteles observavit, antiquitatis tenacissima est, priscum morem servabat; sed qui doctiores videri vellent, novas easque elegantiores poetarum formas recipiebant. Hinc multorum verborum formae prorsus immutatae sunt, non solum distrahendis, sed etiam inserendis vocalibus ac syllabis; veluti in iis nominibus, quae terminabantur in *clum*, [d] ut

d) Haec vere antiquior est forma et haud dubie ab Etruscis in Latium deducta; nam in Tabula Eu-

Digitized by Google

obstaclum, *oraclum*, *periclum* assumebant literam *u*, item in *poplus*, quod jam occurrit in carmine Saliari, pro *mi*, *prendo*, *vemens* dicebant *mihi*, *prehendo*, *vehemens*, et quum antea media syllaba in nominibus *Castoris*, *Hectoris* more Romano produceretur, [e]) nunc, Graecos imitati, corripiebant; hexametri causa syllabam penultimam in *Hannibalis* corripiebant, quum vulgo produceretur; [f]) eandem ob causam genitivis *ingeni*, *auxili*, *praesidi*, *perfugi*, *consili*, quum numeris refragarentur, analogiam adjectivorum secuti, alterum *i* ad-

---

gubina, Etrusco sermone scripta, occurrit *Kumnacle*, quam formam etiamnum Galli servant. Cf. Gorii Antiquitates Etruscae.

e) Haec a priscis producta esse, diserte docet Varro De L. L. IX. p. 178. Bipont. et Quinctil. Inst. Orat. I, 5. cf. Davis. ad Cic. Tusc. I, 44. Scaliger et Popma in notis ad illum Varronis locum.

f) Est Epigramma Varronis in Anthol. Lat. I, 50. trimetris iambicis conscriptum, cujus initium hoc est:

Noctu Hannibalis cum fugavi exercitum.

Cf. Burmannus ad h. l. et Valerius Probus apud Gell. N. A. IV, 7, qui *Hannibalem* et *Hastrubalem* et *Hamilcarem* ita prununciabat, ut penultimam circumflecteret, eoque modo Plautum et Ennium multosque alios veteres pronunciasse affirmabat.

Digitized by Google

jecerunt; g) alia in alias abiere formas, alia prorsus antiquata. Tam insignis commutationis primum auctorem fuisse Enniuṁ statuo, quem merito Romani tanquam alterum Homerum coluerunt, donec Horatius, Augusti assentator, Graecorum simia, Romani ingenii contemtor, cives suos insanabili graezissandi morbo, ne dicam furore infuscavit, quemadmodum sanae ac virilis Graecorum imitationis auctor iis fuerat cum Plauto Ennius.

g) Nisi forte novae hujus genitivorum formae, quantum scimus, a Propertio primum usurpatae, origo repetenda est a pentametro elegiaco. Bentlejus, quod satis constat, primus docuit, non Virgilium, non Horatium, non priorum poetarum quemquam duplex i in genitivis illis usurpasse, ad Terent. Andr. II, 1, 20. Sed quid statuamus de genitivis et dativis *fide*, *die*, *facie*?

Digitized by Google

INDEX SCRIPTORUM

QUORUM LOCI EXPLICANTUR EMENDANTUR DEFENDUNTUR.

	Pag.
Caecilius ap. Cic.	22
Cicero Orat. c. 45.	2
Diomedes II.	54
Ennius ap. Donat.	47
Festus *augur*	62
— *bellitudinem*	41
— *canitudinem*	41
— *delata*	66
— *madusa*	33
Juvenalis VI, 247.	43
Ovid Metam. III, 184.	45
Plautus Amphitruo. I, 1, 68.	49
— — I, 1, 306.	52
— — II, 1, 9.	47
— — II, 2, 217.	61
— — V, 1, 68.	58
— Asinar. Prol. 4.	59
— — Prol. 10.	42
— — I, 1, 77. sqq.	60
Plautus Asinar. II, 1, 15.	61
— — II, 2, 9.	44
— — II, 2, 26.	26
— — II, 2, 112.	27
— — III, 3, 96.	55
— — IV, 1, 10.	34
— — IV, 1, 11.	55
— — IV, 1, 14.	11
— — IV, 1, 15. 46.	17
— — IV, 1, 24. 30. 33. 34.	19
— — IV, 1, 40.	15
— — IV, 1, 59.	45
— — V, 2, 24.	26
— — V, 3, 77.	48
— — V, 3, 25.	27
— Aulular. Argum alt. 1.	21
— — Prol. 7.	7

Digitized by Google

	Pag.
Plt. Aulular. I, 1, 5. 6	
— — I, 1, 26, 30.	11
— — I, 2, 33. . .	54
— — II, 2, 39. .	36
— — II, 2, 43. .	45
— — II, 2, 49. 50.	55
— — II, 3, 7. .	25
— — II, 4, 18. .	7
— — II, 4, 28. .	39
— — II, 4, 37. .	7
— — II, 8, 22. .	45
— — III, 3, 1 sqq.	62
— — III, 3, 7. .	25
— — III, 5, 11. .	8
— — III, 5, 34. .	10
— — III, 6, 5. .	16
— — III, 6, 33. .	52
— — III, 6, 34. .	45
— — IV, 4, 15. .	26
— — IV, 4, 22. .	41
— — IV, 6, 13. .	10
— — IV, 8, 3. .	11
— — IV, 8, 13. .	46
— Bacchid. III, 4, 24.	21
— — IV, 2, 18. .	40
— — IV, 8, 63. .	56
— Casin. I, 38. .	18
— — — III, 1, 1.	26
— Cistellar. II, 3, 9. 12. 13. . . .	38
— — Fragm. a Majo inv. 24. . . .	49
Plautus Cist. Fragm. a Mjoa inv. 34. .	39
— — — 37. . .	50
— Curcul. I, 1, 44.	39
— — I, 1, 46. .	41
— — II, 3, 55. .	27
— — III, 80. . .	41
— — IV, 3, 45. .	58
— — V, 2, 38. . .	27
— Epidic. V, 1, 49.	48
— Menaechm. II, 3, 63. . .	35
— — III, 2, 24, 50, 51. . .	56
— — III, 2, 53. .	21
— — IV, 2, 8. . .	47
— — V, 2, 11. 20.	31
— — V, 3, 6. . .	15
— — V, 9, 29. 30.	57
— — V, 9, 95. .	63
— Mercat. I, 2, 69.	51
— — I, 2, 71. .	37
— — II, 1, 35. .	16
— — II, 2, 13. .	47
— — II, 3, 77. .	50
— — II, 4, 11. .	51
— — IV, 3, 33. .	38
— — IV, 4, 5. .	17
— — IV, 4, 60. .	46
— — V, 2, 4. . .	52
— — V, 2, 11. .	28
— — V, 4, 8. 9.	28

Digitized by Google

	Pag.
Plaut. Mil. II, 2, 26.	35
— — IV, 3, 32.	7
— — IV, 8, 5.	39
— — IV, 8, 20.	46
— — V, 9.	30
— Mostell. I, 1, 19. 20.	20
— — I, 1, 37.	22
— — I, 1, 42.	49
— — I, 1, 80.	15
— — III, 1, 59.	37
— — III, 1, 65.	55
— — IV, 2, 33.	58
— — V, 1, 71.	65
— — V, 2, 57.	52
— Poenul. Prol. 94.	20
— — I, 3, 21.	48
— — I, 3, 32.	55
— — I, 3, 34.	21
— — III, I, 32. 35.	30
— — III, 4, 8. 15.	14
— — V, 2, 8.	14
— — V, 2, 49.	34
— — V, 2, 81.	38
— — V, 3, 18.	65
— — V, 3, 19.	14

	Pag.
Plautus Pseudol. I, 1, 17.	43
— — I, 1, 24. 42.	13
— — I, 1, 29. 80.	38
— — I, 1, 101.	35
— — I, 5, 7.	66
— — V, 1, 1.	32
— Rud. Prol. 55.	15
— — I, 1, 34.	56
— — III, 6, 21.	20
— — IV, 5, 3.	58
— Stich. II, 2, 49.	59
— — III, 2, 7.	13
— — III, 2, 18.	14
— Trinum. Prol. 15.	21
— — Prol. 18.	13
— — I, 2, 169.	13
— — III, 2, 30.	26
— Trucul. II, 5, 8.	32
Tibull. I, 1, 25.	19
Virgil. Eclog. II, 53.	40
— — III, 6, 63. VII, 53. X, 13.	41
— Eclog. VII, 23, VIII, 44.	43

Digitized by Google

CORRIGENDA.

Pag. 9. lin. 8. scribe: *cum e diff.*

— 11. — 11. pro *conjunct.* scribe: *indicativum.*

— 20. — 8. pro *instr.* scr.: *intr.*

— 30. linea 12 ponatur ante 11.

— 32. lin. 22. *Hoc* ictu notetur.

— 34. — 15. pro 11 scr.: 10.

— 63. — 3. pro *ito* scr.: *ite.*

Digitized by Google

THESES.

I.

Linguae Latinae origines in Tusca potius, quam in Graeca lingua esse quaerendas.

II.

Non exstitisse carmen epicum apud Romanos ante Livium Andronicum.

III.

Biantis dictum, ita esse amandum, ac si aliquando simus osuri, non indignum videri sapientis ingenio.

IV.

Veterum incubationem non diversam esse a somnambulismo, quem hodie vocant, multoque frequentius in morbis curandis adhibitam, quam apud nos.

V.

Non vitae, sed scholae discendum.

Digitized by Google

VI.

In Musaei Carm. de Her. et Leandr. v. 32. 33. scribendum esse:

Πύργον ἀπόπρο γονέων παρὰ γείτονι ναίε θαλάσσης,
Ἄλλη Κύπρις ἄνασσα σαοφροσύνη τε καὶ εἶδει.

VII.

Non vituperandum esse Divum Hieronymum, quod post lacrimas, quas praeteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus erueret, ad manus sumserit Plautum comoedum.

Digitized by Google

LUDOVICI SCHOPENI

DE

TERENTIO ET DONATO

DISSERTATIO.

Digitized by Google

VI.

In Musaei Carm. de Her. et Leandr. v. 32. 33. scribendum esse:

Πύργον ἀπόπρο γονέων παρὰ γείτονι ναίε θαλάσσης,
Ἄλλη Κύπρις ἄνασσα σαοφροσύνη τε καὶ εἴδει.

VII.

Non vituperandum esse Divum Hieronymum, quod post lacrimas, quas praeteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus erueret, ad manus sumserit Plautum comoedum.

Digitized by Google

LUDOVICI SCHOPENI

DE

TERENTIO ET DONATO

DISSERTATIO.

Digitized by Google

G. Finzger. 1621.

Digitized by Google

DE

TERENTIO ET DONATO

EIUS INTERPRETE

DISSERTATIO CRITICA

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB ILLUSTRI ORDINE PHILOSOPHORUM IN ACADEMIA BORUSSICA RHENANA LEGITIME IMPETRANDOS

SCRIPSIT ATQUE EDIDIT

LUDOVICUS SCHOPEN,

MONTANUS, SEMINARII REGII PHILOLOGICI IN EADEM ACADEMIA SOCIUS.

BONNAE

APUD C. VOM BRUCK

1821.

Digitized by Google

Digitized by Google

Specimen hoc est studiorum, quae in alma nostra Academia felicibus auspiciis condita per hosce annos persequenda mihi elegi; quod quidem a benevolis harumque intelligentibus litterarum non sine quodam favore acceptum iri spero, non mea aut magistrorum causa, sed propter Regiam voluntatem et Supremorum publicae institutionis Antistitum consilia sapientissima, qui haec studia quum cura sua ac diligentia dignentur, tum naviter atque assidue coli volunt. Duplex est autem huius libelli dos et ratio: una ad Terentium pertinet, altera ad interpretem eius Donatum. Terentium ut commentandi materiam mihi sumserim, id fuit in causa, quod elegantissimum illum poetam, qui inter Latinos scriptores merito semper primi habitus est ordinis, haudquaquam post tot tantasque eruditorum curas ita comparatum cogno-

Digitized by Google

veram, ut extremam manum eum iam recepisse possit affirmari. Licet enim crisi exercenda Comicum nostrum unice demeritus sit Criticorum princeps Bentleius: est tamen, idque non raro, ubi iudicio ac multo magis ingenio abusus poetam corruperit is potius, quam emendarit, ut verissime nuper exemplis docuit vir, cuius praecipua in his litteris auctoritas censetur, Godofredus Hermannus. In re grammatica autem tractanda plurimum sane operae praeter alios ipse etiam Ruhnkenius collocavit, quanquam Dictatis eius in Terentium plus et utilitatis et auctoritatis foret, si tandem ex meliore et locupletiore apographo, quale Ioh. Gurlittus, vir meritissimus et doctissimus, feliciter possidet, emendatius istae integriusque editae extarent. Neque vero in verbis tantum explicandis emendandisque tota Terentii pertractandi provincia continetur, sed latioribus circumscripta finibus alias plures habet disquirendi materias, a ceteris editoribus aut delibatas modo, aut admodum praetermissas. Enimvero, ut ratio fabularum ac virtutes penitus intelligantur, et, dum legimus Comoedias, ipsas eas quodammodo spectare nobis videamur: tota res scenica personarumque actio, quantum potest, (potest autem permul-

Digitized by Google

tis locis,) illustretur oportet, et praeter omnia ars illa, tantopere olim celebrata, qua tam ἠθικῶς mores, quam οἰκονομικῶς actus egregie adornavit Terentius, accurate est examinanda et in singulis enucleanda. Cuius quidem rei licet praeclara a doctis quibusdam edita specimina sint: tamen totum id munus a nemine dum iuste expletum esse et sentiri facile et sine superbia dici potest. Restat etiam, ut quum ipsa poetae vita, perobscura illa quidem nonnullis in partibus ac dubitationis plena, in disquisitionem vocetur, tum vero, qualis fabularum varias per aetates existimatio fuerit et imitatio, eo consilio, quod huius libelli p. 9. seq. ipse apertius significavi, de industria investigetur. Atque ego hanc quidem curam, alias habendam, sepono: nunc id tantum agó, ut tam in criticis quam in grammaticis, in quibus totius sane rei fundamentum positum est, praestantissimum illum Latinorum poetam, quacunque ratione possim, adiuvare experiar. Terentium autem quum tractarem, fieri non potuit, quin item ad veteres Commentarios, qui Donati nomen prae se ferunt, animum converterem, eorumque rationem et conditionem curiosius examinarem. Res ipsa tamen hortari videbatur, quoniam a nullo id negotii

Digitized by Google

adhuc susceptum erat, longius repetere, ac de omnibus universis Terentii enarratoribus paucis disserere.

Iam vero hoc, quicquid est libelli, quam sit tenue, ipse praesertim sentio, et vix studiorum, quae in Seminario nostro Philologico laetissima cum contentione vigent, primitias parvas eruditis offerre ausus eram, nisi a Sodalibus dilectissimis atque ad laudem nobili industria certatim euntibus et meliora his et exquisitiora iam parari moxque effectum iri haberem cognitum.

Scrib. in Academia Borussorum Rhenana extremo Martio 1821.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

TERENTIO ET DONATO

EIUS INTERPRETE

DISSERTATIO CRITICA.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS PRIMA.

OBSERVATIONES IN TERENTIUM.

ANDR. I. 1. 15.

SOS. *Gaúdeo*
Si tíbi quid feci aut fácio, quod placeát, Simo;
Et id grátum fuisse advórsum te, habeo grátiam.

Omnes, quot scio, interpretes haec verba ita accipiunt, ut *gratum* significet *iucundum*, et *advorsum te* dativi *tibi* vice fungatur. Quod an recte fecerint, vehementer dubito. Si verba, *id gratum fuisse advorsum te*, nihil aliud designarent, quam quod vulgo dicunt: Terentius brevius idque melius dixisset, *Si tibi quid feci, aut facio, quod placeat, Simo, gaudeo et habeo gratiam.* Quanquam vel hoc pacto haeret oratio. Servus, ut est eius natura, gaudet quidem, si id quod facit, domino placet: cur etiam gratiam habeat, nisi propter beneficium ipsi a domino oblatum? Quod et res et sententia requirit, ipsis

Digitized by Google

in verbis latet. Latini, aeque ac nos, verbis *gratus* et *ingratus* de re et persona iuxta utuntur. Terent. Eunuch. III. 1. 5.:

Est istuc datum
Profecto, ut grata mihi sint, quae facio omnia.

Heaut. II. 3. 21.:

Quod tamen nunc faciam: tum, cum gratum mi
esse potuit nolui.

V. 1. 60.:

Difficilem ostendes te esse, et ignosces tamen
Post: et id ingratum.

Plaut. Asin. I. 2. 10.:

Ingrata atque irrita esse omnia intellego
Quae dedi et quod benefeci.

Amphitr. Prol. 48.:

Gratum arbitratur esse id a vobis sibi.

ubi legantur velim quae notavit I. F. Gronovius. Iam vero hac ratione belle omnia cohaerent. Dicit servus: Gaudeo, si tibi quid feci, aut facio, quod placeat, Simo, et *id gratiam mihi retulisse apud te*, habeo gratiam. Respicit scilicet libertatem, qua herus ipsum bene meritum donaverat. *Advorsum te* interpretatus sum *apud te*, Scholiastem ad h. l. secutus, aliosque Grammaticos veteres. Priscian. lib. XVIII. p. 1182. Putsch. „Attici ἐναντίον τοῦδε pro *coram* illo. Terentius in Andria: *Id gratum fuisse advorsum te habeo gratiam.*“ Non. Marcell. c. 4. p. 615. „Advorsum *apud* significat. Terentius Andria: *Et id gratum fuisse* et q. s.“ Qui quidem verbi

Digitized by Google

usus aliis quoque scriptoribus est frequens. Livius XLI. 29. „Nihilo plus fidei auctoritatisque habemus *adversus* Romanos, qui semper socii atque amici fuimus, quam Aetoli, qui paullo ante hostes fuerunt.“ Conf. Walchius Emendat. Liv. p. 250.

ANDR. I. 1. 25.

Nam is póstquam excessit éx ephebis, Sósia, de
Libérius vivendi fuít potestas (nam ántea
Qui scíre posses aút ingenium nóscere,
Dum aetás, metus, magíster prohibebánt? SOS.
Ita est.) etc.

Persuadere nobis studet Bentleius, genuinam lectionem a se sic restitutam esse: *Líbera vivendi fuít potestas.* Propius ad vulgatae lectionis vestigia accedi posset scribendo: *Libere vivendi*, quod aeque bene dicitur. Adi Oudendorpium ad Caes. Bell. Civ. I. 3. Sed vereor, ne omnino ea, qua usus est Bentleius, ratio speciosa sit magis, quam vera. „*Liberius*, inquit, metro officit.“ Atqui ego, dum aurem consulo, et *vivendi* disyllabon pronuncio, plane eundem audire mihi videor numerum, qui hisce versibus inest. Heaut. I. 1. 86.:

Intérea usque illi dé me suppliciúm dabo.

Hecyr. I. 2. 44.:

Praesídium velle sé senectutí suae.

Digitized by Google

Vivendi autem recte disyllabon effertur. Littera enim *v*, duabus vocalibus inclusa, in pronunciando apud Comicos quam saepissime elidi-tur, et utraque vocalis contrahitur in unam, ut in *navis, boves, novus, Davus, levis*, etc. Conf. Hermannus Element. doct. metr. p. 65. §. 29. et Schneiderus, Berolinas, Gramm. Lat. Tom. I. p. 362. „Sed *liberius*", pergit Bentleius, „sententiae quoque officit; quippe, si nunc *liberius* vivendi potestas erat, etiam, dum ephebus esset, *libere* vivendi potestatem habebat. Atqui hoc falsum: dum in *metu* agebat et sub *magistro*." Hoc libenter concedimus, quicquid inter se comparatur, affinitate quadam coniunctum sit necesse esse. Libertinum si liberiore vita, quam dum in servitute degeret, uti dicas, absurdi quid dixisse vix negabis. Longe diversa ratio inest nostrae quaestioni. Iuvenis ephebus, etiamsi durissimo sub magistro ageret, nunquam servili utebatur conditione, sed, ut libere natus, quamvis exigua, tamen aliqua semper libertate fruebatur. Hanc respiciens bene et vero comparative pater dicit: *liberius vivendi*. Vir doctus in Miscell. Observ. Vol. III. p. 391., dum vulgatae lectioni contra Bentleium, magno, ut solet, molimine patrocinari conatur, prorsus a via aberravit. Qualia, quum graviora restent, taedet refellere. Bentleius enim aeque callide, nihilo tamen, ut puto, felicius, id quod subinde se-

Digitized by Google

quitur, aggressus est: *Dum aetas metus, magister prohibebant.* Ipsum audiamus: „Scitum sane, inquit, magistrum seu paedagogum, qui *prohibebat* patrem noscere filii ingenium! nempe data, credo, opera et de industria celabat Simonem, quae prave ageret filius. Hanccine lectionem tam diu ferri! Repono:

Dum eum aetas, metus, magister cohibebant.
Ita est.

Cohibebant retinebant: oppositum *liberae* vivendi potestati.“ Vulgatam lectionem quodammodo cum viro docto l. l. p. 392. ita defendere possis, ut *prohibebant* referas ad *liberius vivendi*, quod aetas, metus, magister prohiberent: at, quum *liberius vivendi* a voce *prohibebant* non solum nimis longe absit, verum etiam parenthesi disiungatur: illam, quam Bentleius secutus est, construendi rationem cuivis ut faciliorem melioremque se probaturam esse existimo. Nemo tamen, nisi qui cupidius rem attrectet, verbum *prohibere* proprie dictum hic accipiat. Ut aetas, metus, ita aeque minus magister „data opera et de industria“ prohibuisse, sed, quo nihil apertius, *impedimento* tantum *fuisse* dicitur. Quo severius enim disciplinam magister exercebat, eo maiori impedimento esse potuit, quo minus verum filii ingenium nosceretur. Observatum est autem saepius, quicquid occasionem vel materiam aliquam praebet, ut quid fiat, aut non fiat,

Digitized by Google

idem efficere aut prohibere dici. Conf. Gronovius Observ. I. 3. p. 30. et 6. p. 45. ed. Lips.

ANDR. I. 1. 33.

SIM. *Gaudébam.* SOS. *Non iniúria; nam id árbitror*, etc.

Tametsi Bentleium, unicum fere illum Terentiani metri exactorem, ea, qua par est, reverentia suspicio: tamen, ut eius de re metrica dictatis usquequaque subscribam, multum abest. Nam vel hoc loco eo in genere manifesto is lapsus est. „Lege, inquit, *nam id ego árbitror.* Vitatur, quantum potest, in hac statione Trochaeus; neque debet *nam* sine elisione pronunciari, cum extra ictum sit.“ Eandem sententiam dixerat ad Horat. Serm. II. 5. 79. quanquam paullo confidentius ibi trochaeum in sede quarta *raro aut nusquam* Comicos usurpasse ait. Sed tanti viri auctoritas ne in errorem alios inducat, non alienum putavi, ex una hac ipsa scena locos indicare, quibus id saepius a poeta factum esse intelligatur. v. 4.:

Quod ubi mea ars effícere hoc possit ámplius.

v. 42.:

Intérea mulier quaédam abhinc triénnium.

v. 44.:

Inópia et cognatórum neclegéntia.

Digitized by Google

v. 81.:

Curábat una fúnus, tristis ínterim.

v. 100.:

Quam tímeo, quorsum evádas; funus ínterim.

v. 118.:

Indígnum facinus; cómperisse Pámphilum.

Non erat igitur, quamobrem in nostro loco Bentleius vulgatam scripturam invitis omnibus libris mutaret; in quam quidem reprehensionem idem rursus incurrit Andr. II. 6. 16., ubi vulgo fertur:

Subtrístis visust ésse aliquantulúm mihi.

Ille, scilicet ut trochaeum vitaret, pro *aliquantulum* scripsit *aliquantillum*. Qua in re mirari tamen subit, cur locos, quibus verum ex regula ista remedium petendum esset, alia potius eaque difficiliore ratione sanare maluerit. Talis est versus ex Eunucho I. 1. 24. qui vulgo male sic legitur:

Restínguet, et te ultro áccusabit, ét dabis ei
Ultró supplicium.

Bentleius vocem *ei*, quae metrum excedit, in alterum versum transponit post *ultro*; sed leviore verborum traiectione locus sic restituetur:

Restínguet, et te ultro áccusabit, et eí dabis
Ultró supplicium.

Quo quidem ipso ordine verba exscripta leguntur apud Ioh. Saresberiensem, Policrat. p. 374., quem saeculi scriptorem undecimi eo libentius testem produxi, quo uno hoc exemplo monerem,

Digitized by Google

quanti ad emendandos veterum libros possint valere vel inferiorum temporum scriptores, a Criticis, qui in codicibus omnem salutem positam esse existimant, satis plerumque neglecti: quam in rem egregie disseruit praeceptor meus, insigniter de me meritus, C. F. Heinrichius, Comment. prim. in Iuvenal. Sat. Kil. 1806. p. 8. seq. Ceterum isto in loco etiam hoc editores peccasse mihi videntur, quod pro vulgato *accusabis* quibusdam e libris receperint alterum illud *accusabit*; cuius quidem iudicii mei rationes alio tempore expromere placet.

ANDR. I. 1. 35.

SIM. *Sic víta erat: facile ómnes perferre ác pati:*
Cum quíbus erat cumque úna, iis sese dédere,
Eorum óbsequi studiís, advorsus némini,
Numquám praeponens se íllis: ita facíllume
Sine invídia laudem invénias et amicós pares.

Ecce iterum ad partes mihi vocandus est magnus Bentleius, qui hosce versus infeliciter vexavit, dum, nonnullis verbis resectis, eos sic legendos esse censet:

SIM. *Sic víta erat: facile ómnes perferre ác pati:*
Cum quíbus erat cumque úna, iis sese dédere,

Digitized by Google

Eórum studiis óbsequi: ita facíllume
Sine invídia laudem invénias et amicós pares.

Vir doctus l. l. p. 392. seqq. Bentleium quidem refellere studet; sed quum parum ex more is profecerit, nos denuo singulas rationes, cur ita iudicaverit Bentleius, diligenter expendamus. „Non difficile est, inquit, internoscere hic interpolatorem, qui Terentii purpúrae pannum de suo adsuit. Primo, bis vitiose ponitur Arsis, *Eorum obsequí studiís.* Hoc in medio versu non fecisset Terentius, qui, ut ait Flaccus, *arte vincebat.*“ Qua in re falsus est vir summus. Licet enim ultimam vocis syllabam acuere ex lege linguae Latinae in commune quidem vetitum sit: poetis tamen hac in re licentia quaedam concessa erat, et quidem alia aliis in versibus; in trimetris certe ultimam syllabam, dum primam aut tertiam *διποδίαν* occuparet, sub ictu seu in arsi ponere, ipsis fere semper licitum erat; id quod ipse Bentleius egregie docuit in Schediasm. p. XX. ed. Lips. *Obsequi* igitur, quum primam trimetri *διποδίαν* teneat, non est, cur in ultima syllaba ictum male habere dicamus: immo hoc ne in licentiis quidem ponendum est, quandoquidem una cum extrema antepenultima quoque syllaba ictum habet, eumque talem, ut alter, qui contra linguae rationem in ultimam cadit, ictus prae illo tantum non negligi posse videatur.

Digitized by Google

Certe sic efferebatur vox illa *óbsequí*, eodemque modo ea, quae mox legitur v. 89. *súspicáns*. Sed in verbo *studiís* aeque vitiose, Bentleio iudice, arsis ponitur. Verbum nimirum istud secundam *διποδίαν* tenet, ubi ultimas verborum syllabas acuere, vix unquam poetis datum fuisse, Bentleius docet in Schediasm. l. l. Sed en tibi vim exemplorum, quibus id saepius a Terentio admissum fuisse probatur. Andr. I. 1. 89.:

Nil súspicans etiám mali, hem quid id ést? scies.

Eunuch. V. 1. 16.:

Scelésta ovem lupó commisi, díspudet.

Heaut. I. 1. 9.:

Nam pró deum atque hominúm fidem, quid vís tibi?

Ibid. IV. 5. 4.:

Etsí scio, hosce aliquót dies non séntiet.

Adelph. III. 4. 24.:

Persuásit nox, amór, vinum, adulescéntia.

Phorm. I. 2. 37.:

Nos ótiosi operám dabamus Phaédriae.

Ibid. II. 1. 79.:

Nempe Phórmionem; istúnc patronum múlieris.

Ibid. IV. 3. 32.:

Si tu áliquam partem aequí bonique díxeris.

Igitur quum a metricis rationibus ne minimam quidem vitii notam locus habeat: iam videamus, num id ipsum aliis argumentis a Bentleio probetur. „Bis idem, inquit, dicitur, aut quod peius, in posteriore loco minus dicitur, sententia de-

Digitized by Google

crescente. Qui enim *omnes facile perfert*; quid miri, si *nemini adversus* et infestus est? Qui aliis *obsequitur et dedit sese*, sine dubio *non se praeponit*.“ Etiamsi verum esset, quod Bentleius contendit, ego quidem talibus non offendar in scriptore, qui vulgarem et quotidianum imitatur hominum sermonem, iusto nonnunquam verbosiorem. Ac senem quidem, qualis est qui hic loquitur, imprimis verborum parcum non esse, quis nescit? Sed prorsus falsa est disputatio Bentleii. *Perferre* enim *omnes* nihil aliud est, quam unicuique, etiamsi ignotus sit aut molestus, non asperum tamen et inhumanum se praebere; at *adversum esse nemini* non significat, ut Bentleius interpretatur, *nemini infestum esse*, sed tam in factis quam in dictis nemini non morem gerere. Eo sensu saepius mulieres viris adversae esse seu adversari dicuntur. Terent. Hecyr. II. 1. 5.:

Viris esse advorsas aeque studium est.

Plaut. Cas. II. 3. 35.:

Iam commisti animum, potius ut quod vir velit
Fieri, id facias; quam adversere contra.

Adeo igitur verborum significatio diversa est, ut *perferre* aliquis facile possit omnes; verum *adversari* nemini in quacunque re, inconsulti plane et amentis sit. Vel ipse Pamphilus, qui omnes quidem facile perferebat, amicorum solum nemini adversabatur. Neque vero verba, *numquam*

Digitized by Google

praeponens se illis, tautologiae aliquid habent cum praecedentibus illis, *iis sese dedere, eorum obsequi studiis.* Nam qui aliis se dedit eorumque studiis obsequitur, is idem se non praeponat, immo *nunquam* praeponat nullo pacto necesse est. Sed duplex hisce verbis adolescentis notatur virtus, obsequentiae in amicos altera, altera modestiae ac pudoris. Omnino tantum abest, ut ad minora sententia delabatur, ut mihi quidem, sublatis verbis istis, oratio languida prorsus ac manca esse videatur. Prior sententia universe effertur, *omnes* perferre; item altera de sodalibus, *nemini* advorsus, *nunquam* praeponens. „At vitiose", pergit Bentleius, „hic dicitur, *praeponens illis.* Cum enim prius universe locutus sit *Nemini:* dicendum utique erat *Aliis*, non *Illis.*" Quodsi sententiae ratio *Aliis* necessario postularet, id ex quibusdam exemplis, tam scriptis quam editis, facile restitui posset. Sed sensus loci hic est: Omnes quidem, etiam ignotos, facile perferebat; at cum quibus erat cumque una, iis sese dedebat, eorum studiis obsequebatur, advorsus nemini, (scilicet eorum, cum quibus erat una,) nunquam praeponens se illis. Unde apparet, *nemini* non de omnibus hominibus, sed tantum de sodalibus universe dici; cui si pro *illis* subiungatur *aliis*, totius loci sententia plane haeret. Denique male transire Bentleio videtur oratio ab infinitivis ad adiectiva.

Digitized by Google

„Qui loqui scit, inquit, hoc modo diceret, *adversari* nemini, se non *praeponere*. Quodsi Adiectiva mallet, saltem diceret, *esse advorsum* nemini, casu accusativo; quo tamen pacto *esse praeponentem* barbarum prorsus foret.“ Vide modo tantum virum, quo abripi se passus sit solo obtinendi studio! Per se quidem non barbare profecto dicitur *praeponentem esse* pro *praeponere*; conf. Davisius ad Cic. Tuscul. IV. 3. et Drakenborchius ad Liv. Tom. IV. p. 27. Id quod Graeci aeque dicere amant, satis notum haud dubie, si recordari voluisset, Bentleio. Sed in nostro loco *praeponentem esse* iuxta barbarum esset, atque alterum illud, quod Bentleius mavult, *esse adversum*. Nam in narrationibus, quae per infinitivos fiunt, Latine dicitur *esse adversus*, *esse praeponens*. Sallust. Iug. c. 6. „Non se inertiae corrumpendum dedit; sed, uti mos gentis illius est, equitare, iaculari, cursu cum aequalibus certare, et, quum omnes gloria anteiret, omnibus tamen *carus esse*.“ Tacit. Vit. Agric. c. 19. „Omnia scire, non omnia exsequi; parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare; nec poena semper, sed saepius poenitentia *contentus esse*.“ Et sic ubique Latinorum usu loquendi perpetuo plane et constanti. In talibus autem Latini verbum substantivum saepius omittunt, ut oratio ab infinitivis ad adiectiva aut participia vero transeat; idque praecipue, ut nostro

Digitized by Google

loco, extremis in narrationibus fieri solet, quo exitum rotundiorem ac validiorem nanciscatur oratio. Sallust. Iug. c. 23. „Praeterea dies noctes, aut per vim, aut dolis tentare; defensoribus moenium praemia modo, modo formidinem ostentare; suos hortando ad virtutem erigere, prorsus *intentus* cuncta parare.“ Tacit. Hist. II. 5. „Vespasianus, acer militiae, anteire agmen, locum castris capere, noctu diuque consilio, ac, si res posceret, manu hostibus obniti; cibo fortuito, veste, habituque vix a gregario milite *discrepans*, prorsus, si avaritia abesset, antiquis ducibus *par*.“ Ibid. II. 82. „Ipse Vespasianus adire, hortari, bonos laude, segnes exemplo, incitare saepius, quam coercere; vitia magis amicorum quam virtutes *dissimulans*. Annal. XIV. 10. „Amici dehinc adire templa, et, coepto exemplo, proxima Campaniae municipia victimis et legationibus laetitiam testari; ipse diversa simulatione *moestus*, et quasi incolumitati suae *infensus* ac morti parentis *inlacrimans*.“

Sed iam satis hisce probasse mihi videor, Bentleio in loco nostro emendandi periculum male cessisse; quod ipsum verbo submonuit litterarum nostrarum summus praeceptor, F. A. Wolfius, Analect. litt. Vol. I. p. 76. Nuper tamen alius, Aristophanem, suos amores, ut videtur, audacia aemulans, denuo Terentiana ista verba tentavit, atque haud scio an ipso Bentleio infeli-

Digitized by Google

cius. Carolus enim Reisigius Coniectan. in Aristophanem l. I. p. 305. seq. totum locum restituisse sibi ita videtur:

SIM. *Sic víta erat: facile ómnes perferre ác pati,*
Numquám praeponens se úlli, advorsus némini:
Cum quíbus erat cumque úna, iis sese dédere,
Eórum studiis óbsequi: ita facíllume
Sine invídia laudem invénias et amicós pares.

Verba quidem fere singula servata hic vides; at sententiam corruptam foedissime. Quid enim? An Pamphilus cunctis hominibus, ne vilissimo quidem excepto, postponere se solebat, et impudentissimo cuique nulla in re adversabatur? An ille eos, qui vel ignoti ipsi essent, maiore studio ac benevolentia prosequebatur, quam ipsos sodales suos et amicos? Sed parcam plura reprehendere, ne iudicio aliorum nimis diffisus esse videar.

ANDR. I. 2. 17.

Dum témpus ad eam rém tulit, sivi ánimum ut explerét suum.

„Coniunxerim" inquit Westerhovius „*tempus ad eam rem,* quando *tulit* erit *sivit, permisit.*" Eandem sententiam sequitur Ruhnkenius; sed

Digitized by Google

uterque, si quid video, fallitur. Latine dicitur *via fert, ducit*, ut Graece ὁδὸς φέρει, ἄγει εἰς, πρός τι. Conf. Gronovium Observ. I. 6. p. 45.; inde accommodatur ad tempus, occasionem, aetatem, reliqua, quibus ad aliquid faciendum ducimur, vehimur. Altera est quaestio de verbo *sivi*, Scholion ad h. l., quamvis veri aliquid continet, tamen male sic legitur: „*Sivi*] antique; aliter in Adelphis, [I. 2. 24.] Non sivit egestas facere hoc nos.“ Atqui antiquitus non *sivi* sed *sini* dicebant, teste Diomede l. I. p. 371. Quanquam metro urgente etiam *sii* usurparunt, ut Adelph. l. l. „Non siit egestas et q. s.“ ex vera Bentleii emendatione. Scholiastes igitur in suo Terentii exemplo legerat *sini*, et annotarat, *sini*, *antique* etc. Eam ipsam lectionem quum praeterea codex Colon. apud I. Guilielmium Verisim. I. 3. et Lindenbruchii Mss. omnes habeant, equidem, quin recipienda sit, nullus dubito. Quotidianam scripturam ex more substituerunt scribae. Neque tamen antiquam illam formam Terentii aetate iam obsoletam fuisse, P. Rutilius et Aem. Scaurus testantur, qui licet posterioris essent aetatis, tamen ea sunt usi. Conf. Diomedes l. d. Cavendum est enim maxime, ne scriptoribus, nullo temporum discrimine facto, antiquioris monetae verba ac formae temere obtrudantur. Duo eiusmodi exempla huius loci opportunitate proponam. Andr. V. 2. 12. legitur:

Digitized by Google

Cura adservandum vinctum; atque audin? quadrupedem constringito.

P. Scriverius Anecdot. philol. p. 83. sinistra manu corrigit, *quadrupede em constringito. Em* seu *im* pro *eum*, ut ab hac tantum parte rem aggrediar, Ennii certe temporibus in usu fuit; sed iam Plautus ea forma fere abstinuit, nedum is, quem inter bonos Latinitatis auctores ipse Cicero, Ep. ad Attic. VII. 3., numerat, Terentius noster. Immo locus, si quis alius, sanus est. Quadrupedem aliquem constringere est, ita aliquem vincire, ut quadrupes videatur. Sueton. Calig. c. 27. „aut ad bestias condemnavit, aut bestiarum more *quadrupedes* coercuit.“ Eadem ratione nuperus Propertii editor, Car. Geloander, peccavit, quum Eleg. I. 3. 36. pro vulgato,

Alterius clausis expulit e foribus.

ex coniectura dedit, *aspulit a foribus. Aspellere* verbum est Plautinae fere aetatis. Nam poeta apud Ciceronem, ipse opinor, Tuscul. II. 10., eo utitur, quo tragica dictio augeatur. At ille „deliberandum est, inquit, quomodo quis e clausis foribus expellatur: mihi nondum liquet.“ Nodum in scirpo quaerit vir optimus, quum ista locutione nihil apud poetas invenias frequentius. Sophocl. Antig. 1171.:

Καὶ τυγχάνω γε κλεῖθρ' ἀναστάστου πύλης χαλῶσα.

quem locum, male vulgo intellectum, primus

Digitized by Google

elegantissime explicuit Naekius V. Cl. in praelectionibus Sophocleis. Horatius Serm. I. 10. 10.:

Est brevitate opus, ut currat sententia, neu se
Impedia verbis lassas onerantibus auris.

Confer sis de hoc adiectivorum usu proleptico Schaeferum ad Sophoclem Tom. I. p. 231. Plura mox, spero, disputabit Heinrichius ad hoc Iuvenalis VI. 160.:

Et vetus indulget senibus clementia porcis.

ubi quaerere non licet, cur *senibus*, si recte explices, *ut senes fiant.*

Andr. II. 1. 10.

CHAR. *Tu si hic sis, aliter séntias.* BYR. *age age, út lubet.*

Bentleius „Lege, inquit, *aliter censeas;* hoc est, putes, existimes; non *sentias*, quod est percipias, intelligas. Sic Adelph. V. 8. 5. *Haud aliter censeo.*“ En tibi miram in emendando Magistri festinationem! *Sentire* sexcenties profecto non solum percipiendi, intelligendi, sed, quod nostro loco aptissime quadrat, iudicandi, existimandi potestate legitur. Cic. Epist. Fam. I. 7. „Nos quidem hoc *sentimus:* si exploratum tibi sit, posse te illius regni potiri, non esse cunctandum; si dubium, non esse conandum.“ Consulas Gro-

Digitized by Google

novium Observ. l. II. 4. p. 187. et Ernestium Clav. Cic. s. v. Vir doctus Miscell. Observ. Tom. IV. p. 121. dum contra Bentleium evincere studet, *sentire* idem esse, quod animi sensum *prodere*, in nostro loco totus est alienus. Quomodo autem nomen, quod sequitur, servi (de quo conf. Heinrichius in appendice Epimenidis p. 198.) scribendum sit, utrum *Byrria* an *Pyrria*, a nemine dum, quantum scio, interpretum disceptatum est. Hadr. Iunius de Coma p. 416. in transcursu monet, veram scripturam esse *Pyrrhia*, quoniam derivandum sit nomen a Graeco πυῤῥίας. Hoc recte; alterum non item. Littera tenuis P saepius mutata est in mediam B, ut πύξος buxus, κάρπασος carbasus, πυῤῥὸς byrrus (lacerna russei coloris). Adi Salmasium ad Hist. Aug. Script. p. 514. quem hoc egregie docentem miror neglectum nuper esse a Schneidero Gram. Lat. p. 42. et p. 224. Male autem scribitur *Byrrhia*, quum sit *Byrria* scribendum ad similitudinem verborum eiusdem originis, *byrrus*, *burrichus*, et nominis proprii *Burrus*, de quo legendus Ernestius ad Tacit. Annal. XII. 42. Qua ipsa ratione apud Gruterum Inscript. p. 576. nr. 8. et p. 106. nr. 6. scripta leguntur nomina propria a *Burrus* vel *Byrrus* ducta, *Birrius* et feminina forma *Birria*, ubi vocalis *u* vel *y* ex more in *i* abiit.

Digitized by Google

ANDR. II. 6. 3.

SIM. *Quid Dávus narrat?* DAV. *aéque quicquam núnc quidem.*
SIM. *Nilne? hém.* DAV. *nil prorsus.* SIM. *átqui expectabám quidem.*

Quid, Dave, narrat? rĕcte dedit Bentleius; sed sic diu ante coniecerat Palmerius Spicileg. p. 823. ed. Grut. quem acutissimo virum ingenio ipse Bentleius honorifice nuncupat ad Heautont. I. 1. 91. ut mirum sit, quem bene nosset, eum ne verbo quidem memorare, ubi iuste laudandus esset. Sic coniecturam, quam Andr. III. 5. 18. novam proponit, idem ille iam occupavit Spicilegii sui p. 857. Uterque frustra. Consule Ruhnkenium illic, et Graevium in Syllog. Epist. Burm. Tom. IV. p. 704. Sed in nostro loco, ut ad propositum redeam, alteram corruptelam interpretes, ut solent nonnunquam, videntur silentio praeterisse. Verbis, *aeque quicquam nunc quidem*, designari *nihil*, contextus solus docet. Simo enim respondet *Nilne?* Quod Perizonius ad Sanctii Minerv. I. 13. p. 113. ed. Lips. elliptice dictum esse existimat, ut sit sensus: nunc quidem aeque quicquam narrat, ac narrat tum cum nihil narrat. Verum hac ratione, ut ingenue fatear, quidvis ex quovis nullo negotio extricabis. Mihi, dum similem ellipsin invenero, verba corrupta

Digitized by Google

esse videntur; quod iam pridem suboluit censori Westerhovii in Actis Erudit. Lips. ann. 1726. p. 256. At hic, dum *aeque quidquam nec quidquam* legendum coniicit, quod aiunt, *κάπνον γε φεύγων εἰς τὸ πῦρ περιέπεσεν.* Sensus enim haeret et metrum corruit. Conf. Hermannus Element. doctr. metr. p. 141. et p. 97. Vide an nos melius quid afferamus, *aegre quicquam nunc quidem*, i. e. vix quidquam nunc saltem. *Aegre* rariore significatu positum ansam praebuit corruptelae.

Andr. III. 2. 9.

SIM. *Vel hoc quís non credat, quí te norit, ábs te esse ortum?*

Westerhovio isto in versu synchysis verborum videtur esse, in quibus haec sit constructionis ratio: *quis non credat, qui vel norit te, hoc abs te esse ortum?* Vereor tamen, ne sic una cum verbis sententia ipsa confundendo turbetur. Quanto melius potestatem particulae *vel* perspexit Donatus, qui ita: „Bene, *vel hoc*; subaudias, exceptis illis, quae reprehendit supra.“ Plautus Mil. Glor. I. 1. 59.

Amant te omnes mulieres, neque hercle iniuria,
Qui sis tam pulcer, ut vel illae, quae here pallio
Me reprehenderunt.

Conf. Terentius Heautont. III. 3. 7. ibid. IV. 6.

Digitized by Google

2. Hecyr. I. 1. 1. etc. Loquentis animo multa ad confirmandam suam sententiam obversantur exempla, quorum tamen unum in medium protulisse sufficit. Scite huius particulae vim expressit Gronovius ad Cic. Epist. Fam. II. 13. „ne de aliis dicam, ut alia taceam.“ In explicando nostro loco male igitur Westerhovius tantas sibi ipse molestias creavit; atque omnino eorum is est interpretum, qui licet indocti non sint, tamen intelligenti nonnunquam iudicio carent. Qualis idem est in loco, quem non tam vituperandi studio, quam ipsius scriptoris causa hic subiiciam. Heautont. I. 1. 117. haec verba leguntur:

Monere oportet me hunc vicinum Phaniam,
Ad coenam ut veniat: ibo, visam si domi est.
Nihil opus fuit monitore: iam dudum domi
Praesto apud me esse aiunt, et q. s.

Westerhovius ita: „Scilicet ob horologiorum defectum servis *monitoribus* utebantur, qui coena parata vocatos admonerent.“ Ego vero servos bene novi invitatores, vocatores, quos *δειπνοκλήτορας* Graeci dicunt; at de servis monitoribus, qui ad coenam vocarent tardos, nihil constat; immo *monitores* appellantur servi, quorum munus erat obviorum nomina dominis suppeditare. Adi Pignorium de Servis p. 144. seq. Quid igitur? Servis nullus omnino hic locus, quum Chremes diserte dicat, *monere me oportet.* *Monitore* autem h. l. pro monitione ponitur; qui quidem lo-

Digitized by Google

quendi usus utriusque linguae scriptoribus non est alienus. Iuvenal. I. 13.:

convulsaque marmora clamant
Semper, et assiduo ruptae lectore columnae.

Sophocl. Oed. R. 1147.:

Ἆ, μὴ κόλαζε, πρέσβυ, τόνδ', ἐπεὶ τὰ σὰ
Δεῖται κολαστοῦ μᾶλλον ἢ τὰ τοῦδ' ἔπη.

Andr. III. 5. 9.

Dicam áliquid me inventurúm, ut huic malo áliquam producám moram.

Censori editionis Westerhovii Act. Erudit. Lips. l. d. verba, *ut huic malo aliquam producam moram*, vix significare videntur, *ut hoc malum differam*. „Minima, inquit, mutatione scriberemus: *ut huic malo praeducam moram*; sic erit praeducere moram idem quod alibi *praetendere moram bello*.“ Quam in sententiam licet multum absit ut pedibus eam: tamen laudandus est ille, quod in loco, ab omnibus interpretibus male intellecto, primus offenderit. Ipse Ruhnkenius, quod iure mireris, sinistre comparat verba ex Andr. IV. 1. 24.:

Nisi me lactasses amantem et falsa spe produceres.

ubi significatio verbi *producere* ab ea, quae hic obtinet, immane quantum differt. Scholiastes quidem ad h. l. *producam* interpretatur *prolatem*;

Digitized by Google

at *moram producere* hac significatione quid aliud est, ac moram, quae est, in longum extendere? Hic inventa opus est. Ne in mora te morer, *producere* exquisite dicitur pro gignere, creare. Plautus Rud. IV. 4. 129.:

Filia mea, salve; ego is sum, qui te produxi, pater.

Captiv. IV. 1. 105.:

Quod hoc est scelus!
Quasi in orbitatem liberos produxerim.

Terentius Adelph. III. 2. 16.:

Seni animam primum extinguerem ipsi, qui illud produxit scelus.

Iam vero quid nostro loco aptius? *Moram creare sibi dictis* ipse Plautus dicit Pseud. I. 3. 159.

ANDR. IV. 2. 24.

DAV. *Proinde hínc vos amolímini; nam mi ímpedimento éstis.*
PAMPH. *Ego hanc vísam.* DAV. *Quid tu? quo hínc te agis?* CHAR. *Verúm vis dicam?* DAV. *Immo étiam*
Narrátionis íncipit mi inítium. CHAR. *Quid de mé fiet?*

Terentius mira arte et prope divina, qua hominum ingenia moresque describit, unus omnium maxime excelluit. Varro apud Non. Marc. c. 4.

Digitized by Google

p. 696. „In argumentis Caecilius poscit palmam, in ἤθεσι Terentius, in sermonibus Plautus.“ Conf. Valckenarius ad Theocrit. Vol. II. p. 163. seq. ed. Berol. Eo gravius in reprehensionem incurrunt, qui artis illius vestigia coniecturis temere inducunt; id quod in nostro loco peccatum est. Gisb. Cuperus Observ. I. 19. legendum coniicit, *verum? vis, dicam?* „ut haec velut illudens Charinus ad Davum dicat.“ Quodsi quis ἦθος h. l. dedita opera corrumpere vellet, quidni hoc institueret? Charinum et herilem filium Davus consilio suo misere impeditos reddiderat. Desperant, clamant, minantur: at ille rem perditam iam restituere se promittit, ac, ne ipsi impedimento sint, amoveri eos iubet. Pamphilus igitur postquam securior abiit, Charinus subtristi vultu resistit, metuens scilicet, ne, dum Pamphilo summa Davi contentione ex animo omnia eveniant, ipse spe frustratus uxore excidat. Quam quidem ipsius sollicitudinem quum Davo significaret, tantum abest, ut ironia utatur, ut fere suspirans dicat, *Verum vis dicam? quid de me fiet?* Sed tamen pejus illo etiam hic, qui Act. litt. Soc. Rhenotraiect. Tom. IV. p. 293. pro vulgato, *Quid tu? quo hinc te agis?* reponendum censet, *Quid tu? quin hinc te agis?* scilicet ut aptius cohaereat, quod Charinus subiungit, *Verum vis dicam? quid de me fiet?* Metrum ista ratione depravari, nemo non videt; denique omnis hic emendandi

Digitized by Google

ardor inde est natus, quod quo sensu dicatur, *Quid tu? quo hinc te agis?* parum assecutus erat vir doctus. Verba nimirum ista non eo consilio dicit Davus ut, quo eat, Charinus narret, (id enim scire nihil profecto Davi intererat,) sed ut ad discedendum interrogatione ista admoneatur. Quod quum Charinus bene perspexisset, non id quidem dicit, quod Davus speciose rogaverat, sed curam potius, qua vel maxime urgebatur, servo indicaturus incipit: *Verum vis dicam? Quid de me fiet?* Quodsi igitur haec verba non vere respondentis sunt, quid tandem opus est, ut oratio aptius cohaereat? id quod ipsa illa emendatione minime efficitur. Totius loci sententiam egregie iam intellexit Donatus ad h. l., quamvis ipsius verba, ut nunc feruntur, nihili sunt. Vulgo enim sic audiunt: „*Quo hinc te agis?*] Admonitio discedentis, ut solet. nam a quo discedere desideramus, admonemus eum quo vadat vel quo eat. Id facere per interrogationem admonet Davus Charinum, ut ipse abscedat Charinus, qui nunc ultimus remanet.“ Non dubito, haec esse genuina Donati: „*Quo hinc te agis?*] Admonitio discedendi, ut solet; nam si quem discedere desideramus, admonemus eum id facere per interrogationem, quo vadat vel quo eat.“ Cetera, a sciolo addita, delenda sunt. Corruptelae huius loci ansam dedit permutatio seu traiectio verborum, unde saepius errores

Digitized by Google

fluxerunt., Conf. Walchius Emendat. Liv. p. 127. seq. Eiusdem vitii animadversione aliud Donati Scholium praeclare vindicavit Ruhnkenius ad Rutil. Lup. p. 114., cuius tamen emendationem occupat F. Th. Kohlius in Commentationum criticarum libro a. 1717. Hamburgi et Kilonii edito, p. 23. Ceterum Terentiano isto in loco fraudi etiam fuit interpretibus id quod Davus dicit, *Immo etiam narrationis incipit mi initium.* Nonnulli post *etiam* punctum ponunt, ut Davus *Immo etiam* Charino dicat affirmans, reliqua ad spectatores conversus. Verum *immo* nunquam affirmationi servit, sed corrigendi et augendi vim habet; Graecum μᾶλλον δέ. Cum vulgata interpunctione optime procedit sententia. Davus, qui expectaverat, ut Charinus mox abiret, neque affirmat neque denegat, quum hic prooemio isto, *Verum vis dicam?* longam ipsi narrationem minatur; sed subiratus aliquantum secum loquitur: *Immo etiam narrationis incipit mi initium*, i. e. tantum abest, ut hic statim abeat, ut vel narrationem mihi incipiat. Qualia ex loquentis animo apud Comicos et Satirarum scriptores supplenda sunt saepius.

Digitized by Google

PARS SECUNDA.

OBSERVATIONES IN DONATI QUAE FERUNTUR SCHOLIA.

Plures veterum Grammaticorum Terentii composuisse commentarios, etiamsi memoriae nihil quidquam sit proditum, coniectando vel inde liceat assequi, quod tantum non omnes Latinorum scriptorum principes, in quibus, si cui alii, Comico nostro est locus, magistrorum stipati sunt choro, qui et recensuerunt et annotarunt. At disertis nominibus commemorantur Terentii interpretes *Probus*, *Asper*, *Donatus*, *Euanthius*, *Arruntius Celsus*, *Helenius Acro*; quorum licet numero *Adesionem* insuper et *Nigidium* et *Flavium Caprum* vulgo adiungant: ego, rebus paullo diligentius examinatis, aliter sentio, quod mox dicam.

Probus, eorum certe, quos dixi, interpretum antiquissimus, in vulgatis Terentii Scholiis

Digitized by Google

quum alibi tum hisce in locis laudatur: Eun. I. 1. 1. „Probus *distinguit*.“ Adelph. III. 2. 25. „Probus *adsignat* hoc Sostratae.“ Phorm. V. 8. 16. „*Quaerit* Probus, an matrona tam familiariter, ni homo, recte dicat alieno.“ Eundem esse puto, ac *M. Valerium Probum*, Berytium, cuius vitam primis lineis descripsit Suetonius de illustr. Grammat. c. 24. Quod si est, Neronis temporibus floruit, ut Eusebius docet in Chron. ad ann. LV. p. Ch. n. „Probus Berytius eruditissimus Grammaticorum Romae agnoscitur.“ Conf. Gronovius pater ad Gellii Noct. Att. I. 15. p. 89. et XVII. 9. p. 767. Plurimum studii atque operae in antiquiores contulit scriptores Latinos, quorum, ut ipsis Suetonii verbis utar, „multa exemplaria *emendare* ac *distinguere* et *annotare* curavit.“ Qui, ipsius nomine inscripti, in Putschiano opere p. 1386 — 1542. nunc leguntur libelli, etsi eiusdem commentationum haud parvum numerum Suetonius l. d. et Gellius XV. 30. extitisse testantur, eos tamen a Probo minore, nescio quo, conscriptos esse, certissima in promptu indicia sunt. Ad quem iuniorem, aliumve, ab eo certe de quo hic agitur, diversum, refero commentariorum fragmenta, quae in Iuvenalem et in Virgilium extant; nam Probus ille Berytius nullam, quae ad Virgilium pertineat, scripturam reliquisse videtur; qua de re disputare alias lubet.

Digitized by Google

Asper Grammaticus secundus a Probo susceepit interpretis partes. Schol. Terent. Adelph. III, 2. 25. „Asper non vult ad omnia servum respondere, sed nutricem putat hoc loqui.“ Conf. IV, 2. 20. Hec. I. 2. 24. etc. Rufin. Grammat. p. 2705, Putsch. „Asper in Commentario Terentii.“ Aspri Commentarii in Virgilium et Sallustium saepius memorantur a Macrobio, Charisio, Hieronymo, Servio. *Aemilium Asprum* Probus ille iunior eum vocat ad Virgil. Eclog. VI. 31. et inde, puto, Pomponius Sabinus ad Aeneid. I. 88. ubi vitiose nunc legitur: „Aemilius Asper in hoc loco ait: haec membra natura sic solet iungere.“ Corrige: membra naturae. Heynius in Praefat. Virgilii p. CXLV. pro *Aemilius Asper* legendum festinantius putat, *Velius Asper*, idem ut sit, qui alibi audiat *Velius Longus*. Velius Asper Longus, in Scholiis ad Statii Achill. II. 41. laudatus, ut ab Aspro, ita a Velio Longo alius videtur esse. De temporis, quo Aemilius noster vixerit, rationibus nihil constat.

Hos autem interpretes *Aelius Donatus* sic et ingenio et iudicii acumine superavit, ut eorum commentarii prae illo in commune fere neglecti esse videantur. Hieronymus advers. Rufinum Tom. III. p. 92. ed. Bas. „Puto quod puer legeris Aspri in Virgilium et Sallustium Commentarios, Vulcatii in Orationes Ciceronis, Victorini in Dialogos eius, et *in Terentii Comoedias praeceptoris*

Digitized by Google

mei Donati aeque in Virgilium et aliorum in alios.“ Commemoratur Terentii interpres item a Prisciano libr. XVIII. p. 1186. „Terentius in Andria. *Ausculta pauca.* Sic enim habent antiqui codices, *teste Donato, commentatore eius.*“ Adde eundem lib. I. p. 1167. Aetatem docet Hieronymus in Euseb. Chron. ad ann. CCCLV. p. Ch. „Victorinus Rhetor et Donatus Grammaticus, praeceptor meus Romae insignes habentur.“ Aelii Donati Elementa Grammatices, vulgo Editiones seu Artes vocata, vel pueris cognita sunt, neque minus inde, quae pueris ignoscuntur, *Donati vitia.* Virgilianas eius commentationes Hieronymus laudat l. d., easdemque, quoties Donatum memorat, Servius respectat, qui senem videre potuit puer. Quae in Maronem nunc feruntur commenta, ea Tiberii Claudii Donati esse, Grammatici et aetate et ingenio longe inferioris, inter eruditos iam sat constat. Conf. Heynius in Praef. Virgilii p. CXLVI. De vita Donati nihil prorsus compertum habemus aliud, nisi Grammaticum eum fuisse longe celeberrimum. Oratorem autem potius quam Grammaticum dici se maluisse, libri indicant, qui, quos novi, omnes hunc titulum praeferunt: *Aelii Donati V. C. Oratoris Urbis Romae Commentarii,* etc. *Orator* intelligendus est rhetor, ex temporum illorum loquendi consuetudine. Conf. Cod. Theodos. Tom. V. p. 23. ibique Gothofredus, et Ruhnkenius in Praef.

Digitized by Google

Rutilii Lupi p. 26. Grammatici nimirum plerique omnes, ab antiquissimis inde temporibus, quamvis discretis professionibus ac suis quaque finibus circumscripta, Rhetorices elementa una cum Grammatica tradebant, nonnullis etiam, quae rhetorum erant propriae, occupatis provinciis. Quintilian. Inst. Orat. lib. II. 1. „*Rhetores nostri suas partes omiserunt, et Grammatici alienas occupaverunt.* Nam et illi declamare modo et scientiam declamandi ac facultatem tradere, officii sui ducunt, idque intra deliberativas iudicialesque materias: nam cetera, ut professione sua minora, despiciunt: et hi non satis credunt excepisse, quae relicta erant, (quo nomine gratia quoque his est habenda) sed ad prosopopoeias usque et ad suasorias, in quibus onus dicendi vel maximum est, irrumpunt. Hinc ergo accidit, ut quae alterius artis prima erant opera, facta sint alterius novissima, et aetas, altioribus iam disciplinis debita, in schola minore subsideat, ac *Rhetoricen apud Grammaticos exerceat.*“ Conf. Sueton. de illustr. Grammat. c. 4. Henr. Valesius de Critica lib. I. p. 149. Hinc vel ipso rhetoris seu oratoris nomine, qui altiora appetebant magistri, exornasse se videmus. Uti Donatus, ita Felix Grammaticus, qui Horatii exemplaria contulit, Orator Urbis Romae appellatur. Conf. Bentleii Praef. Horat. p. IX. Lips. Burmannus Sec. ad H. Vales. de Critica p. 181. Apud Gruterum

Digitized by Google

p. DCLIII. haec est inscriptio: *Palaemon L. L. L. D. F. Gramma. Veicet. atq. Rhet. sibi et Tuberonitae contubernali* etc. quam cur Oudendorpius ad Sueton. p. 967. spuriam suspicetur, quum causam non attulerit, nec mihi liquet. Donatus noster certe in numero fuit Professorum litterarum, qui rite ac legitime constituti iuventutem Romanam liberalibus disciplinis instituebant. Non enim temere ac repente ad hocce munus prosilire (Iuliani Imp. haec verba) licitum erat, sed cuiusque civitatis optimi iique periti, nonnunquam et ipsi Imperatores, studiorum magistros probatos eligebant. Conf. Gothofredus ad Cod. Theodos. Tom. V. p. 31. seqq. Et his quidem solis non modo privilegium erat immunitatis ab omni functione omnique munere publico (conf. idem l. d. p. 24.), verum etiam salaria annua tantum non semper constituta ipsis erant. Qua de re leg. Gothofredus ad Cod. Theod. Tom. V. p. 26. et 42. Lipsius Opp. Tom. III. p. 793. Salmasius ad Script. Hist. Aug. p. 72. Reitzius ad Lucian. Tom. V. p. 520. ed. Bip. Professores autem hi publice ordinati, post plurium annorum stipendia, ut Constantinopoli a Theodosio inde Secundo, Primi Ordinis Comitiva (conf. Cod. Theod. Tom. II. p. 112. ibique Gothofr.): ita Romae tunc temporis decorati esse videntur Clarissimatu (i. e. Senatoria dignitate; conf. Guid. Pancirol. ad Notit. dignit. libr. I. c. 2.), licet ipsi hic atque illic immunes

Digitized by Google

essent ab omni Ordinis functione. Inde explico, quod in titulo Scholiorum Donati legitur: Aelius Donatus *V. C.* Orator U. R. Eandem dignitatem vindico *Iulio Firmico Materno*, Ordinis Philosophorum sub Constantino Magno Professori, qui in libris titulum praefert *V. C.* quo nonnulli Virum Consularem designari male statuunt. Conf. Fabricii Bibl. Lat. Tom. III. p. 114. not. Eodem dignitatis titulo ornatur *Chalcidius*, Philosophus, quem priori fere aequalem fuisse, Vossius suspicatur de Idololatr. l. II. c. 45. p. 556. Conf. Fabric. d. l. p. 105. *P. Consentium*, cuius nomini quum apud Putschium p. 2018. et in indice libelli de Barbarismis et Metaplasmis a Buttmanno nuper editi item adiunctae honoris istae litterae legantur, eiusdem quo Donatus ordinis, eiusdemque eum dignitatis fuisse, inde coniicio. Hac vero dignitatis nota plures temporum istorum scriptores aut simpliciores veterum mores imitati prorsus abstinuisse, aut ea defraudati esse videntur per incuriam librariorum. Ceterum, ut ad Donatum redeam, Aelios Donatos alios plures Inscriptionum Thesauri Gruteri et Muratorii recondunt, quos congerere hinc alienum est; Aelii autem praenomen haesit multis claris Grammaticis et Sophistis singularem ob causam, quam erudite exponit Cannegieterus apud Pierson. in Praefatione Moeridis p. XLVI. seq.

Digitized by Google

Euanthius, quartus Terentii interpres, memoratur Rufino Grammatico p. 2705. „Euanthius in Commentario Terentii de fabula i. e. de Comoedia sic dicit: Concinna argumento, consuetudini congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro. Et postea sic: Veteres etsi usi ipsi quoque metris negligentius, iambici versus duntaxat in secundo et quarto loco, tamen a Terentio vincuntur resolutione huius metri, quantum potest, comminuti ad imaginem prosae orationis.“ Quae quidem verba in fragmento leguntur, etiamnum superstite, edit. Westerhovii Tom. I. p. LIV. Verum, an iustos in omnesque poetae fabulas composuerit commentarios, necne: quum nihil ea de re compertum haberi queat, in medio relinquam. Eadem fere, qua Donatus, is vixit aetate, Eusebio teste in Chron. ad ann. CCCLX. p. Ch. „Euanthius, eruditissimus Grammaticorum Constantinopoli diem obiit, in cuius locum Chrestus ex Africa adducitur.“ Constantinopoli una cum Graecis Latinos docuisse Grammaticos, ex Codice constat Theod. lib. VI. tit. 21. Conf. Gothofredus Tom. II. p. 114. Euanthius certe, ut Donatus, unus fuit de publicis Professoribus, quorum quidem numerus tunc temporis nondum legibus erat finitus; quod Theodosius Minor primus lege sanxit, ne plus viginti utriusque eruditionis Grammatici in Capitolio Urbis Constantinopolitanae profiterentur. Conf. Cod. Theod.

Digitized by Google

l. XIV. t. 9. cum Gothofredo, Tom. V. p. 205. seqq. De Africa autem, unde adductus ille fuit, qui Euanthio succederet, cogitandum est, Carthagine scholas tum fuisse artium liberalium longe celeberrimas, et Latinarum quidem litterarum ibi ita floruisse studia, ut hinc quoque Carthago a scriptoribus aemula diceretur Romae. Adi Lipsium Opp. Tom. III. p. 791. Salmasium Prolegg. in Solin. (p. 7.) Gothofredum in Cod. Theod. Tom. V. p. 198. Ceterum iuvat intelligere hoc argumento, quam late disseminatus tunc fuerit eruditorum ordo, quum ex Africa vocarentur, qui Constantinopoli docerent litteras.

Arruntii Celsi Commentarii memorantur a Charisio; ut lib. II. p. 185. „*Nimium quantum* Terentius in Phormione; ubi Celsus: pro nimium, uti immane quantum, incredibile quantum; licet quidam sic legant, inquit, ut *nimium* servus dicat, *quantum* vero senex, sed sequentia non intelligunt.“ P. 190. „Terentius in Phormione. *eam amare coepit perdite.* nam ita Arruntius Celsus, et addit: antiqui enim dicebant ardere pro amare.“ Corrige igitur: eam *ardere* coepit perdite. Aeque vitiose l. d. p. 197. apud Putschium nunc legitur: *Huc viciniae*, Terentius in Hecyra; ubi Celsus *adverbialiter*, inquit, *ut domi militiaeque.*“ Verba non in Hecyra, sed duobus aliis in locis leguntur: Andr. I. 1. 43. *commigravit huc viciniae*, et Phorm. I. 2. 45. *vidi virginem hic viciniae.*

Digitized by Google

Bentleius quidem ad Terent. Andr. l. l., dum ad hanc fabulam verba ista corrupta refert, corrigit: *Terentius in Andria;* sed, quum Charisius Celsi notationes in Phormionem tantum fabulam laudet, aliorum in alias; hic non nisi Phormionem annotasse videtur, ideoque legendum apud Putschium: *Hic viciniae, Terentius in Phormione* etc. Celsus Virgilii interpres laudatur a Charisio p. 180. et 191. et a Servio ad Virg. Georg. I. 277. qui si idem est, ut puto, ac Terentianus hic: Donati fere aequalem eum fuisse iudico. *Annaeus Cornutus*, quem nonnulli (conf. Fabric. Bibl. Lat. Tom. I. p. 49.) Terentii commentatorem nuncupant, cum Arruntio nostro male permutatus est. Annaeus Cornutus Virgilii interpres saepius laudatur, Terentii nusquam. Eodem in errore versatur Ianus Parrhasius, Quaesit. per epist. p. 122. Steph. dum inter veteres Terentii interpretes, memoriae fortasse falsus, *Martium Salutarem* recenset, qui Virgilium annotasse fertur, Terentium non item.

Helenius Acro item in Terentium enarrationes reliquit, quarum mentio fit pluribus locis apud Charisium. Cuius ex verbis his (lib. II. p. 175.): „Viderit etenim *Helenius Acro commentariis, quos Adelphis Terentii non indiligentes attulit*, quid altioris causae reive perspexerit, nam ita dicit: ut falso, inquit, et consulto, ita sedulo dictitatum.“ coniiciat aliquis, Acronem in

Digitized by Google

Adelphos tantum commentarios scripsisse. Verum rursus is memoratur ad Terentii Eunuch. l. l. p. 188. et 192. Neque hic alius videtur ab eo, cuius feruntur Commenta in Horatium. Aelio quidem Donato antiquiorem Acronem esse, Parrhasius contendit, Quaesit. per epist. p. 15. et 122.; id quod mihi parum probabile videtur esse. Manifesto autem falsus est Ernestius in Clav. Cic. Ind. Hist. s. v. Helenius, dum Terentianum nostrum interpretem designari existimat a Cicerone Epist. ad Attic. V. 12. hisce verbis: „Nam id vel *Helenius*, vir gravissimus, potest efficere, cliens tuus."

Recensuimus Grammaticos, quos certo constat Terentianos commentarios edidisse. Firmis enim testimoniis carent, qui a litteratoribus, quorum alium alius, ut fit, exscribit, praeterea solent enumerari. Parrhasius d. l., Lindenbruchius Comment. Donat. init., et, ne plures, Fabricius in Bibl. Lat. Tom. I. p. 49. *Flavium* quendam *Caprum* Comici nostri interpretem faciunt, inducti, ni fallor, Charisii verbis p. 175. de adverbiis: „Alias pro aliter. Terentius in Andr. Quid alias malim quam hodie has fieri nuptias? *ubi Fl. Caper de latinitate*, non ausim affirmare alias pro aliter dici: nam neque pronomen est, neque adverbium temporis est; sed proximum vero est, ut pro eo, quod est aliter, dictum esse fateamur." Iam quid inde probari potest aliud,

Digitized by Google

quam quod in peculiari, quem de Latinitate is scripsit, libello Terentium in partes vocarit? Hinc male vulgo in Commentatorum numerum refertur; ut magistrorum nonnulli, qui Virgilii verba in grammaticis libellis illustraverant, eam solam ob causam Scholiastarum gregis scribuntur. Conf. Heynius Praef. Virg. p. CXLIII. Idem Flavii Capri libellus laudatur d. l. p. 186. his verbis: „*Novissime* Tiro in Pandecte non recte ait dici, adiicitque, quod sua coeperit aetate id adverbium, ubi *Fl. Caper de latinitate*, miror, inquit, id dixisse Tironem." e. q. s. Quo ex loco, (quid enim vetat, in transcursu monere?) verum constare puto titulum, quo varii argumenti libros inscripserit Tullius Tiro, Ciceronis libertus. Vulgo audiunt *Pandectae*. Conf. Gellius Noct. Att. XIII. 9. Budaeus ad Pandect. p. 11. f. v. Ac licet aeque bene et *Pandectes* et *Pandectae* dicatur: tamen, quum exquisitiorem et rariorem formam Grammaticus ille, bonae sane fidei, aperte praebeat, vera haec et genuina videtur esse; quanquam apud Gellium alteram non tollendam censeo. Sed ad Terentii qui feruntur interpretes redeamus. *Nigidius* in Scholiis quidem vulgatis laudatur ad Phorm. I. 4. 4. „*Celari*] Nigidius celari quaerit, utrum plenum sit an pressum." Item ad I. 4. 13. et II. 1. 3. Sed quum neque hic neque alibi Commentariorum eius in Terentium mentio reperiatur ulla, ego P. Nigidium Figu-

Digitized by Google

lum, de Terentianis quibusdam locis in Commentariis Grammaticis egisse puto, quos saepius memorat Gellius, ut III. 12. IV. 9. item Servius ad Virg. Georg. I. 120. Conf. Ian. Rutgersius Var. Lect. III. 16. p. 269. seq. quem idem sensisse postea cognovi.

Adesio autem, cuius mentio apud Scholiastem ad Terent. Eunuch. IV. 4. 22. „Ego Adesionem sequor.“ inter Terentii interpretes fallax nomen et vanum versatur simulacrum; quippe qui ne vixisse quidem unquam videtur, nedum commentarios scripsisse. Nomen scilicet corruptum esse vel inde apparet, quod in eius scriptura mirifice variant libri. Lindenbruchii Ms. habet *Edesionius*, Bentleius ad Terent. l. l. *Aedesio*, Parrhasius Quaesit. per Epist. p. 127. *Adhaesionus*; utrumque, ni fallor, e libris. Aliud quid latere, mihi certo constat; quod ipsum Lindenbruchius suspicatur Comment. Donati initio, Fabricius B. L. Tom. I. p. 49. et Parrhasius l. l. quorum hic *Helenium* substituendum esse contendit. Mihi uti neque haec ratio probatur, ita nec meliorem, quam afferam, nunc habeo.

Ceterum non nesciens hac in disputatione *Calliopium* et *Eugraphium* praetermisi, quorum uterque *veterum* numero *Scholiastarum* haberi non potest; hic propterea, quod Terentii Commentarios saeculo demum X. scripsit, (conf. Westerhovius Praef. Tom. I. p. X. et Fabric. B. L.

Digitized by Google

Tom. I. p. 49.) ille, quod Comici fabulas non annotavit, sed tantum, ut ipse dicit „recensuit;“ qua de re, veteribus multum frequentata, erudite Burmannus Sec. ad H. Vales. de Crit. p. 180. seq.

Iam vero Terentii Scholiastarum commentarios ad unum omnes temporis nobis invidit iniuria: unum Donatum aetatem tulisse aiunt. Eius scilicet nomine enarrationes inscribi solent, quae in solas quinque Terentii Comoedias leguntur. In Heautontimorumenon enim quae extant, ea non Donati esse, sed Ioh. Calphurnii, Politiani aequalis, norunt eruditi. Conf. Fabric. B. L. Tom. I. p. 49. not. Verum ea ipsa, quae Donati vocantur Scholia, non unius eiusdemque esse magistri, argumentis certo efficitur. Monuerunt ea de re Parrhasius Quaesit. per Epist. p. 124. seqq. Guilielmius Verisimil. I. 18. Tan. Faber Epist. l. I. p. 210. Vossius Art. Grammat. l. VI. c. 13. p. 548. et de recentioribus Lessingius Opp. Tom. XXV. p. 156. et Tom. XV. p. 195. Qui quidem quoniam partim verbo tantum rem attigere, partim, quamvis expromptis rationibus, tamen totam nondum quaestionem persolverunt: ego huius rei disputationem institui, ut Scholiorum istorum quae sit ratio, quaeque origo et conditio, penitus in posterum intelligatur.

In Terentium, quae Donati fert nomen, Scholiorum farraginem unius Donati non esse, vel inde probari licet, quod fere cuiusvis Scholii

Digitized by Google

sententia repetita bis terve legitur. Exempla, in tanta multitudine, pauca sufficiant. Ad Andr. I. 1. 10. *Feci, e servo ut esses libertus mihi,* notata sunt haec: „Dulcem libertatem fecit operatione et tractatione verborum, dicendo, *ex servo libertum;* non enim tantam haberet gratiam, si dixisset, *feci libertus ut esses:* quam si dicat, *feci e servo ut esses libertus.* Ac si quis dicat, *feci ut esses sanus*, non tantam haberet gratiam, quam si dicat, *feci, ut ex aegro sanus esses.*“ Quae quum satis accurate ac luculenter sint disputata, cur quaeso statim, quasi in compendium redactum, subiicitur idem Scholium? „*E servo*] Mire addit *e servo*, ut vim beneficii exprimeret.“ Ad Eunuch. III. 5. 7. haec leguntur: „*Quid gestiam*] Gestire est motu corporis monstrare quid sentias. Constat autem, a pecudibus ad homines esse translatum. *Quid gestiam*] Gestire proprie est sensum corporis gestu indicare, quod magis brutorum est animalium. Virgilius, *Et studio incassum videas gestire lavgndi.*“ Eandem hic bis inculcatam vides sententiam, et sic in locis quam plurimis. Confer sis Scholia in Andr. I. 2. 34. II. 1. 18. II. 2. 17. II. 3. 25. Eunuch. III. 5. 53. V. 6. 22. Adelph. I. 2. 16. III. 3. 48. Hecyr. I. 1. 9. IV. 1. 3. et 16. V. 2. 5. Phorm. II. 3. 3. V. 7. 29. etc.

Nonnunquam etiam diversae notationes ita uxta se positae sunt, ut nemo intelligens exi-

Digitized by Google

stimare possit, Donati has esse omnes. Adelph. I. 1, 24. *In eo me oblecto*, haec leguntur: „*In eo*] quasi in ea re. *In eo me oblecto*] nove dixit pro eo me oblecto“ Ad Adelph. II. 4. 6. *ne id assentandi facere existimes*, bene annotatum est: „Antiqua ἔλλειψις, deest enim *causa*.“ At continuo subiicitur: „Utrum deest *causa*, an ad ipsam litem sic dicitur?“ Conf. Andr. I. 1. 30. II. 3. 6. II. 4. 7. Eunuch. I. 2. 22. et 23. II. 3. 8. III. 2. 25. III. 5. 2. Adelph. I. 1. 24. I. 2. 7. II. 3. 3. Hecyr. I. 2. 77. Phorm. V. 7. 88. etc. Quae quidem exempla ad sententiam nostram firmandam apprime faciunt. Quamvis enim diversas sententias enumerare solent veteres isti Scholiastae: tamen tantum abest, ut per saturam haec effundant, ut quid sibi, quid aliis videatur, curiose semper distinguant.

Sed, ne dubites, en tertium, quod in promptu est, argumentum. Eodem plerumque in loco prorsus sibi contraria ponuntur, quae si unus revera scripsit Donatus: hic pessimae sit fidei oportet. Andr. I. 1. 28. verba: *plerique omnes*, sic in Scholiis explicantur: „Haec adiectio dicitur in primo posita loco; adiectiones vero aut in prima parte orationis aut in ultima adiiciuntur. Hic ergo *plerique* ex abundantia positum est: *omnes* vero necessario additum est.“ Sed ecce tibi auctoritatem magistri, qui iam palinodiam canit: „*Plerique omnes*] ἀρχαϊσμός est, *nam er-*

Digitized by Google

rant, qui plerique παρέλκον intelligunt; hoc enim pro una parte orationis dixere veteres.“ Eodem modo se ipse erroris arguit ad Andr. II. 6. 18. Eunuch. II. 3. 44. IV. 3. 11. et 24. etc.

Tantae denique nugae atque ineptiae elegantissimis alioquin Comici explanationibus leguntur immixtae, ut eidem utrasque tribuere Donato, aeque sit inepti. Quis tandem risum teneat, qui haecce legit ad Andr. I. 2. 23. *Davus sum non Oedipus:* „Multiplex contumelia; potest enim senem quasi sphingem dixisse, id est, deformem monstrique similem; potest etiam inhumanum et ferum, ut sphinx. Potest etiam per Oedipum se ultorem promittere futurum atque oppressorem sapientiae senis.“ Id genus alia qui animi causa cognoscere cupit, conferat Scholia ad Andr. I. 1. 42. II. 1. 19. III. 1. 12. IV. 3. 1. Eunuch. I. 2. 59. III. 5. 45 etc. ubi intelliget, opinor, Donatianae purpurae miseros pannos similiter esse assutos.

Igitur si unius Donati esse nequit Scholiorum istorum farrago: iam age videamus, a quibus auctoribus eam profectam esse credibile sit. Et maximam quidem eamque praecipuam Commentariorum partem ab eo, cuius nomen profitetur, magistro abiudicare non ausim. Vel quaevis pagina eiusmodi continet observata, quae, uti scriptoris ingenium pariter atque eruditionem probant, ita illustri isto Grammatico non sunt indi-

Digitized by Google

gna habenda. Atque his ipsis eadem fere inest dicendi elegantia, eadem enarrandi ratio, eademque iudicii subtilitas obtinet et acumen. Spectant autem notationes istae Donati, quibus nihil aptius unquam dictum est in poetam aut ingeniosius, partim sermonis Terentiani proprietatem et naturam, partim fabularum oeconomiam ac personarum ἠθοποιΐαν. Saepius quoque Terentium inter et, quos Latine is extulit, Graecos poetas fit comparatio, qua quid ab imitatore sit praestitum, quidve omissum aut additum, diligenter semper indicatur. Conf. ad Andr. II. 1. 1. V. 3. 20. V. 5. 3. etc. Sed critica etiam nonnunquam a Donato exercetur, et quibusdam quidem in locis uni ipsi scriptura debetur genuina. Conf. Bentleius ad Heautontim. init. Donati enim temporibus veteres Terentii libri etiamnum extabant, unde lectionis varietatem ab ipso enotatam habemus in Scholiis. Eodem ex fonte ea quoque hausisse videtur magister, quibus scenica actio callida brevitate notatur, velut *hoc vultuose*, *hoc cum gestu*, *hoc cum capitis iactatione dicitur*, et innumera hoc genus. Talia a veteribus doctis, et quidem ipsis ab histrionibus claris, dum in scena partes agunt, accepta, suo quodque loco in libris adscripta fuisse, vel hoc fidem facit, quod plura eiusmodi, quae omissa sunt postea, observata continebantur antiquioribus Comoediarum exemplis; ut ex Donato certo constat, qui ita in

Digitized by Google

Praefat. Adelphorum: „Modulata est autem tibiis dextris, id est, Lydiis, ob seriam gravitatem, qua fere in omnibus Comoediis utitur hic poeta; saepe tamen, mutatis per scenam modis, Cantica mutavit: *quod significat titulus scenae, habens subiectas personis litteras, M. M. C.* Item Diverbia ab histrionibus crebro pronunciata sunt, *quae significantur D. et M. litteris, secundum personarum nomina praescriptis in eo loco, ubi incipit scena.*“ Fuere nimirum omnibus, quos novimus, Scholiastis antiquiores quidam, qui licet iustos Terentii commentarios non composuerint, tamen notulis nonnullis eius fabulas instruxerant, quibus tum res scenica illustraretur, tum ceterarum rerum notabilium traderetur historia. Veterum istarum notationum pars etiamnum extant fabularum Didascaliae, quas item Donatus in Comoediarum Praefationibus respicit, ubi perinde atque in Scholiis, (conf. Eunuch. prol. v. 12. ibique Bentleius) alia plura sunt, a veteribus doctis certe residua.

At dubitari non potest, quin his Donati Commentariis ubique conglutinatae legantur enarrationes a librariis Grammaticisque profectae. Nam in describendo librarii copias Donati contraxerunt et attenuarunt saepissime; nonnunquam etiam Scholia tantum ad sensum reddiderunt: quae sic minuta ac mutata, posthac collecta, iuxta genuina Magistri verba inepte posita

Digitized by Google

sunt; unde eadem eodem in loco bis terve plerumque sententia legitur, nunc breviata, nunc verbis reficta. Sed longe plurimae eaeque foedissimae interpolationes ortae sunt inde, quod magistelli, dum suopte Marte illustrarent poetam, margini librorum insulse quidlibet adsperserant; velut ille, qui, memoria magis quam ingenio praeditus, Virgilium cum Terentio componit ad nauseam. Conf. Schol. ad Andr. prol. v. 4. I. 1. 10. et 90. I. 2. 14. II. 3. 1. II. 5. 1. et sic ubivis. Plura interpolationum id genus exempla supra posuimus; quibus innumera addi licet, praesertim ex primis Donati Commentariis, qui extremis multo magis interpolati corruptique sunt. Quodsi is, qui primus Scholia varia, variis ex codicibus collecta, Donato immiscuit, illa Brunsii labore ex libro Halensi edita et ipsa novisset, non minus his quoque ineptiis boni Donati nomen onustum nunc sine dubio haberemus. Cum Brunsiano autem Scholiaste, ut in transcursu hoc dicam, Terentii Scholia ab Ang. Maio edita Mediol. 1815. maximam partem ita congruunt, ut, qui inedita ea putaverit, doctus Italus plane erraverit; tamen laudandus hoc nomine, quod meliora inde excerpta primo ab ipso emendatius edita sunt, quum istas glossulas viles describendo etiam peiores fecerit Brunsius. Ceterum, ut ad propositum redeamus, iis ipsis, quae Donato supposita sunt, quaedam tamen

Digitized by Google

continentur, haud dubie vindicanda Probo, Aspro, vel de ceteris antiquis interpretibus alii. Adeo nonnulla tum eruditionem tum Latinitatem notas suae antiquitatis habent; quaedam etiam ipse Donatus respexisse videtur in Scholiis.

Hactenus ratio et origo Scholiorum Donati; quae quantam a barbarie temporum et monachorum stupore contraxerint labem, nihil attinet disputare. Sed quam ipsi etiam Viri docti in iis hucusque operam posuerunt, ea levis sane et exilis admodum habenda. Agendum est enim hoc praeter omnia, ut tandem summi viri, Lessingii, iustissimo desiderio prudentissimoque consilio satisfiat, qui germanum Donatum, tot vitiis et interpolationibus depravatum, in integrum denique restitutum dari cuperet. Quam quidem provinciam ornandam alius suscipiat licet exercitatior: nos symbolas hasce contulisse, satis habemus. Ad quas instruendas nobis magnopere profuit vetus exemplum, quod cum ceteris libris Harlesianis feliciter possidet alma haec Academia, impressum Tarvisii ann. MCCCCLXXVII. et inter principes Donati editiones annumeratum.

In Praefatione, qua de Andria didascalica traduntur, exempla, quibus usus sum, omnia habent, fabulam editam esse M. Marcello et *Cn.* Sulpicio Coss. Qua in re vitium est; nam Sul-

Digitized by Google

picio Gallo non *Cnaeo* praenomen fuit, sed *Caio*, sive, ut posteriores scribebant, *Gaio*. Cf. Fast. Consul. ed. Almelov. ad ann. 588. et, qui vitium huius loci ipse quoque animadvertit, Oudendorpius ad Suet. p. 984.

ANDR. Prol. v. 1.

Poeta quum primum animum ad scribendum appulit.

„*Appulit.*] In secunda lectione *attulit* fuit, sed *appulit* magis; nam postea sic, *Animum ad uxorem appulit.*" — Exemplum Tarvis.: *magis: ut Terentius: nam postea sic.* Inde coniicio: *magis est Terentianum; nam postea sic.* Facile *ut* et *est* permutantur, et particula *nam* ultimam vocis *Terentianum* syllabam intercepit, unde *Terentius* ortum est. Qua ex causa longe plurima librorum vitia orta sunt. Cf. Scioppius Verisimil. l. I. 7. II. 14. Ruhnkenius ad Rut. Lup. p. 3. et 119.

ANDR. Prol. v. 22.

Dehinc ut quiescant porro, moneo, et desinant Maledicere, malefacta ne noscant sua.

„*Dehinc ut quiescant.*] Recte; nam *quiescere* ille dicitur, qui est insolens et inquietus. *Porro.*] In futurum dixit. *Moneo.*] Terribiliter dixit. Cicero: *Moneo, praedico, ante denuncio.*

Digitized by Google

Liberatus culpa etiam terret, alibi etiam criminaturus adversarios.“ — Mss. Lindenbruchii: *nam quiesce illi dicitur;* quod cur editores postliminio non restituerint, non intelligo. Ad hoc exemplum Tarvis. optime: *liberatus culpa etiam terret criminaturus adversarios.* Verbum *alibi* vel sic abiiciendum erat, quum *alibi* nunquam valeat *alias*, i. e. alio tempore, sed *alio loco*, quod hic absurdum. Westerhovio quidem unius Codicis lectio: *liberatus culpa enim respondet*, non displicet; at ego tale πρωθύστερον non memini legere. Respondet poeta, ut culpa se liberet; postquam respondendo (quod usque ad v. 22. factum est,) culpa se liberavit, terret etiam, ut Donati verbis utar, criminaturus adversarios.

ANDR. Prol. v. 24.

Favete, adeste aequo animo et rem cognoscite.

Favete.] Iam ad auditores convertitur, a quibus favorem captat. *Favete.*] Quasi dicat, hoc adversarii faciunt. Vos autem, quod in vobis est, *favete.* Et *adeste* non ut absentibus dicit, quippe qui corporibus praesto erant; sed intenti estote, favete, silete. Sic et Pontifices dicunt, favete linguis, favete verbis. Unde Virgilius: *Ore favete omnes. Adeste.*] Animis scilicet auxilium praebete, ut advocatus reo dicitur adesse.“ — Exemplum Tarvis. non male: - - - *favorem ca-*

Digitized by Google

ptat, quasi dicat. In verbis: sed intenti estote, favete, silete. Sic et Pontif. e. q. s. edd. omnes voc. *favete* sic scriptam habent, ac si interpretamentum sit verbi *adeste.* Verum novum inde Scholium incipit, quo eiecto, locus sic omnino restituendus est: „Et *adeste* non ut absentibus dicit, quippe qui corporibus praesto erant, sed intenti estote *sive* auxilium praebete, ut advocatus reo dicitur adesse.“ Ex. Tarvis. non habet, *scilicet auxilium*, sed *s. auxilium;* verba autem *adeste animis*, quae proprie, utpote ipsius Terentii, scribebantur: *Adeste animo*, inepto isti Scholio, quod eiecimus, originem debent, idioque una inducenda sunt.

ANDR. Prol. v. 25.

Ut pernoscatis, ecquid spei sit reliquum:
Posthac quas faciet de integro comoedias
Spectandae, an exigendae sint vobis prius.

„*Relliquum.*] Sunt qui pro relliquorum accipiant, ut sit sensus: de hac fabula sumite specimen, ut sciatis an ceterae vobis spectandae sint. Nam postmodum dictum alio Prologo, *Alias cognostis eius, quaeso hanc noscite. Relliquum.*] Quasi diceret *Postremum;* ergo adverbium est, id est τὸ λοιπόν. Sed sive hoc relliquum dicit, sive relliquum pro relliquorum, geminato ll scribitur.“ — Glossa mendis foe-

Digitized by Google

dissimis scatet. Primum corruptelam sapit, *hoc relliquum dicit.* Aliquid excidisse puto et ita scripsisse Scholiastem: „*Sed sive hic* (i. e. hoc loco) *reliquum pro adverbio dicit.*“ Deinde prodigiose legitur: *geminato ll scribitur.* Ex. Tarvis. optime: *geminato u scribitur.* Respicit scriptor, diaeresin, quae *u* duplex necessario postulat; nam vulgo olim scriptum est *relicum*, ut *anticum*, et sic alia. Cf. Heinrichius V. Cl. ad Schol. in Cic. Orat. pro Scauro p. 54. not. 13. Ipsum etiam exempl. Tarvis. non *relliquum* habet, sed *reliquum.* Totus denique locus sic integrandus: „*Reliquum.*] Quasi diceret *postremum*, ergo adverbium est i. e. τὸ λοιπόν. Sunt qui pro *reliquorum* accipiant, e. q. s. Sed sive hic *reliquum* pro adverbio dicit, sive *reliquum* pro *reliquorum*, geminato *u* scribitur.“

ANDR. I. 1. 13.

SOS. *In memoria habeo.* SIM. *Haud muto factum.*

„*Haud muto factum.*] Vetuste: non me poenitet; nam si quid poeniteret, *infectum velle* dicebant. An secundum ius, quod adversus libertos ingratos est, ut in servitutem revocentur? Sed hoc non convenit senem dicere. Legitur et *Multo*, hoc est, *damno*, *reprehendo:* quod si est, sic intelligeretur, non nollem factum. Nemo enim potest factum infectum reddere. Sed

Digitized by Google

adverbialiter dixit, ut dicimus, *nollem factum, nollem huc exitum.* Ergo *haud muto factum,* non poenitet me facti.“ — Cohaerent belle hic omnia. Quodsi *multo* vera lectio fuit, cur tandem additur: *quod si est?* At lectionem *multo* Scholiastes iam explicavit: *damno, reprehendo;* adeo inepte inculcatur alterum interpretamentum: *non nollem factum.* Pro *adverbialiter,* quod sensum non habet, ex. Tarvis. aliud, sed nihilo id sanius, praebet, *admirabiliter.* Vide an et verbum et locum ex coniectura restituam: „*Haud muto factum.*] Vetuste: non me poenitet; nam si quid poeniteret, *infectum velle* dicebant; an secundum ius, quod adversus libertos ingratos est, ut in servitutem revocentur? Sed hoc non convenit senem dicere. Nemo enim potest factum infectum reddere. Sed *proverbialiter* dixit, ut dicimus, *nollem factum, nollem huc exitum.* Ergo *haud muto factum,* non poenitet me facti. Legitur et *multo* h. e. damno, reprehendo.“ — Cetera delenda. Scholiastes *haud muto factum* non proprie accipiendum esse dicit, sed proverbii in modum; sicque alibi loquitur. Ad Hecyr. III. 1. 35. in verbis *sursum prorsum*: „Est proverbiale, ut dicimus, sursum deorsum, intro foras, hac illac, et similia.“ Ad Eunuch. II. 3. 12. *Quid tu es tristis? quidve alacris?* idem haec: „Proverbiale est in hominem perturbatum et incerti vultus.“

Digitized by Google

ANDR. I. 1. 29.

Ut animum ad aliquod studium adiungant aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos.

„*Aut equos alere aut canes ad venandum.*] Si et equos ad venandum alunt quomodo et canes? Quod multi docti improbant et dicunt separata esse. *Ad philosophos.*] Vitium est, quia dixit, *ad aliquod studium.* Aut si ad philosophos: separanda locutio est, sic, ut animum adiungant ad philosophos.“ — Scholium utrumque corruptum; prioris certissimam emendationem mecum communicavit A. F. Naekius: Si et equos ad venandum alunt, quomodo *aut canes?* e. q. s.; alterum ego sic emendo: Vitium est, quia dixit, *ad aliquod studium*; aut *ad philosophos* separanda locutio est, sic, *ut animum adiungant ad philosophos.*

ANDR. I. 1. 44.

Ex Andro commigravit huc viciniae,
Inopia et cognatorum negligentia
Coacta, egregia forma atque aetate integra.

„*Inopia et cognatorum negligentia.*] Laudatis Pamphili moribus, qui mox ducet uxorem, superest ut futurae quoque matronae i. e. Glyce-

Digitized by Google

rio probitatem debitam pro persona reddat: quae quia honesta nunquam esse poterit, si sic eam constet ante nuptias, impudicam ductam esse, partim laudanda partim defendenda est Chrysis, cum qua commorata est: quam quoniam necesse est, meretricem fateri, in conditione turpissimi nominis multum sumitur excusatio voluntatis." — Verba: *si sic eam constet ante nuptias impudicam ductam esse*, ut nunc leguntur, nihili sunt. Schol. ad v. 48. dicit: „Artificiose ut videatur pudice apud eam futura materfamilias educari posse, quam meretricem necessitas fecit." Nostrum hinc locum corrigo: *si eam constet ante nuptias impudice eductam esse.* Sed graviore menda laborant, quae sequuntur: *in conditione turpissimi nominis multum sumitur excusatio voluntatis.* Scripserat, ni fallor, Scholiastes: *in conditione turpissimi nominis multum ponitur in excusatione voluntatis.*

ANDR. I. 1. 61.

Eho quid Pamphilus? Quid? symbolam Dedit, coenavit. Gaudebam.

„*Eho quid Pamphilus?*] Primo sic egit, ut de Pamphilo quaerere videretur, ad ultimum adiecit nomen, ne quid reliqui faceret." — Haec Scholiastes. Atqui senex quaesiverat: *Quis* heri Chrysidem habuit? non: num *Pamphilus* heri

Digitized by Google

Chrys. habuit? Igitur vide, quid descriptores peccaverint. Scriptum fuit, Primo sic egit, ut *non* de Pamphilo et q. s.

ANDR. I. 1. 73.

Ad me venit, unicam gnatam suam
Cum dote summa filio uxorem ut daret.

„*Unicam gnatam.*] Quid si taedio multorum filiorum? at unicam. *Cum dote summa*] Quid si pauper est? at cum dote summa.“ — Westerhovius coniicit bene: *multarum filiarum.* Exempla vett. pro *at* habent *ait*; quam scripturam ille restituendam dicit. Verum sic optimi quique loquuntur. Consul. Eudaeus Comment. L. Gr. p. 1129. 43. seq. ed. Basil. Male autem indicativus modus legitur in verbis: *Quid si pauper est?* Vel hoc nomine ambabus amplector, quod ex. Tarvis. praebet: *Quid si pauperem?* i. e. quid si gnatam pauperem filio uxorem dedisset?

ANDR. I. 2. 16.

Nam quod antehac fecit, nihil ad me attinet.

„*Antehac*] pro *antehac* consuetudine magis, quam ratione dicitur.“ — Ex. Tarvis. bene: *pro antehaec.*

Digitized by Google

ANDR. I. 2. 21.

DAV. *Ita aiunt.* SIM. *Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum* etc.

„*Ita aiunt*] haec credunt et loquuntur universi; et est trepida confessio et quasi inviti responsio.“ — Ms. Lindenbruch. et ex. Tarvis.: *tepida consensio*, quo nihil melius. Schol. ad II. 5. 9. *consensio segnis et tepida.*

ANDR. I. 3. 13.

Nam incoeptio est amentium, haud amantium.

„*Amentium haud amantium.*] Amabant veteres de proximo similia dicere, ut Cicero, *Minus charum putavit fore de armario, quam quod de sacrario fuisset ablatum.*“ — Verba extant Verrin. IV. 12. unde hic emendandum est, minus *clarum* putavit fore, *quod* de armario, quam quod de sacrario *esset* ablatum. Conf. Garatonius ad Cic. l. l.

ANDR. I. 5. 33.

PAMPH. *Quid agit?* MYS. *Rogas? Laborat e dolore.*

„*Laborat e dolore.*] Mysis, quae contra patrem suasura est, incertum inveniens Pamphilum, facile ad se convertit mentione dominae

Digitized by Google

suae, et maxime quod addidit, cur illam aegram esse dicat; quare statim perfectum est, quod volebat, ut dicat Pamphilus, *Egone istuc conari queam?*" — Ex. Tarvis.: - - - *et maxime quod addit at illam aegram esse dicat.* Inde coniicio legendum: *et maxime quod addidit, illam aegram esse.*

ANDR. I. 5 34.

Ex hoc misera sollicita est, diem
Quia olim in hunc sunt constitutae nuptiae.

„*In hunc diem*] Idem enim dies est, quo placuerant destinatae nuptiae, quamvis Chremes renuntiaverat." — Vitium locum traxisse, et verba et sensus ostendunt. Ego corrigendum puto: *Idem enim dies est, qui prius erat destinatus nuptiis, quam Chremes renuntiaverat.* Tmesi *priusquam* divisum est, ut saepius. Caes. Bell. Civ. III. 1. „Statuerat enim hos *prius* iudicio populi debere restitui, *quam* suo beneficio videri receptos."

ANDR. I. 5. 34.

Tum autem hoc timet
Ne deseras se.

„*Tum autem.*] *Tum* praeterea, tertiam sollicitudinem habere Glycerium, ne deseratur a

Digitized by Google

Pamphilo.“ — Ex. Tarvis. optime: *habere Glycerium ostendit, ne* etc.

ANDR. I. 5. 43.

Adeon' me ignavum putas,
Adeon' porro ingratum aut inhumanum aut ferum?

„*Adeon' porro ingratum aut inhumanum.*] Mira omnis conversio. Non enim dixit: adeon' me obsequentem patri existimas, adeo gratum, adeo pium, adeo mansuetum?“ — Ex. Tarvis.: *mira hominis conversio;* quod restituendum.

ANDR. I. 5. 50.

Accessi; vos semotae; nos soli; incipit.

„Figurae propriae Terentianae, ἀσύνδετον καὶ ἔλλειψις.“ — Westerhovius: „Lege, *Terentio.*“ Quod ante pedes erat, et ex. Tarvis. exhibet, non vidit vir optimus. Lege: *Figurae proprie Terentianae.*

ANDR. II. 1. 5.

Quoniam non potest id fieri, quod vis,
Id velis, quod possit.

„*Quoniam non potest.*] Consolatio ad id, quod fieri non potest, suadens. *Id velis quod possit.*] Proverbiale.“ — Corruptum hoc est.

Digitized by Google

Coniunctim lege: „Consolatio ad id, quod fieri non potest, suadens, id ut velit, quod possit. Proverbiale.“ In exemplo Tarvis. vestigium verae lectionis apparet: *id ut velis.*

ANDR. II. 1. 12.

Ipsum hunc orabo, huic supplicabo: amorem huic narrabo meum:
Credo impetrabo, ut aliquod saltem nuptiis prodat dies.

„*Amorem huic narrabo meum.*] Non studium aut voluntatem, sed *amorem;* nec petam, sed *narrabo* dixit; totum magnifice.“ — Sic vulgo legitur. At quid est: *petam amorem?* Corrige: --- *nec petam, sed impetrabo dixit.*

ANDR. II. 2. 26.

CHAR. *Recte dicis.* PAM. *Perge.* DAV. *Maneo.*

„*Recte dicis. Perge.*] Vultu enunciandum. Hoc dicit Pamphilus. *Maneo.*] At parum temporis fuisti.“ — Ex. Tarvis. non agnoscens hanc notam, habet: „*Maneo.*] *Ne temporis fuerit dilatio;* id quod bonum, si erit suo loco restitutum. Repone igitur: „*Recte dicis.*] Vultu enunciandum. *Perge.*] Hoc dicit Pamphilus, ne temporis *fieret* dilatio.“ De temporum permu-

Digitized by Google

tatione consule Oudendorp. ad Caes. Bell. Gall. I. 8. Ruhnken. ad Velleium I. 9. Alterum illud Scholium inde venit, quod sciolus quis verbis: *ne temporis fieret dilatio*, adscripserat: *nam parum temporis fuit.*

ANDR. II. 2. 29.

DAV. *Num videntur convenire haec nuptiis?* PAM. *Non, opinor.* DAV. *Opinor, narras?*

„*Non opinor.*] Quoniam argumenta sunt et coniecturae, *opinor* dixit.“ — Legendum est: „quoniam argumenta sunt *ex coniecturis*, opinor dixit.“ Schol. ad I. 1. 117. „*Venit Chremes.*] Argumentum ex coniectura.“

ANDR. II. 6. 18.

SIM. *Quidnam est?* DAV. *Puerile est.* SIM. *Quid est.?* DAV. *Nihil.*

„*Puerile est.*] Apparet Davum nunc quaerere quid respondeat et ad quam causam derivet aversa suspicione tristitiam Pamphili, quam animadvertit senex.“ — Verba: *ad quam causam derivet*, corrupta sunt. Emendo: *a qua causa derivet.*

ANDR. III. 1. 1.

Ita pol quidem res est, ut dixti, Lesbia.

Digitized by Google

„*Ita pol quidem res est.*] In hac scena novo modo, cessante Davo, fallitur Simo per nimiam sagacitatem suam. Simul in hac scena id agit poeta, ut ad nuptias faciendas magis accendatur Simo; et quaedam velut casu eveniunt: ut nunc suspicio senis. In multis enim οἰκονομίαις comicorum poetarum ita se habet, ut casu putet spectator venisse, quod consilio scriptorum factum sit." — Ex. Tarvis. ita habet: - - - *et quadam agit velut casu eveniunt, ut nunc suspitio senis.* Inde locus sic restituendus videtur: *et quae quidem de industria agit, velut casu eveniunt, ut nunc suspicio senis.*

ANDR. III. 3. 1.

SI. *Iubeo Chremetem.* CHREM. *Oh te ipsum quaerebam.*

„*Iubeo Chremetem*] Firme aliquid iubere, velle est. *Iubere* ergo, *volo;* et deest *salvere,* quod exprimitur ab alterius personae interventu." — Sic editt. omnes. Ego vero legendum conieci: *quod opprimitur alterius personae interventu.* Schol. ad Andr. IV. 4. 51. „Fiunt ἀποσιωπήσεις, id est, reticentiae, tribus modis. Aut enim tacet per se ipsum, et ad alium transit: et est prima; aut tacet, nec ultra aliquid dicit, et est secunda; aut *alterius interventu personae silet; et est tertia.*" Quo tamen ipso in Scholio vitia

Digitized by Google

haerent. Corrigendum est: Fiunt ἀποσιωπήσεις, id est, reticentiae, tribus modis. Aut enim tacet *persona ipsa* et ad *aliud* transit; et est prima; aut tacet, nec ultra aliquid dicit: et est secunda; aut alterius interventu personae silet: et est tertia.“ *Persona* siglo olim scriptum est *persa*: inde orta est corruptela. *Persona ipsa tacet* opponitur verbis: *alterius interventu personae silet*. *Ipsa*, sua sponte, per se; quod Graecorum exemplo Latini dicunt. Cic. Offic. I. 22. „Ita consiliis diligentiaque nostra celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt.“ Plura exempla collegit Ernestius Clav. Cic. s. v.

ANDR. IV. 2. 14.

Hanc, nisi mors, mihi adimet nemo.

„*Hanc nisi mors mihi adimet nemo.*] Perseverat, ne dicat, pater: pro, Non adimet pater.“ — Exempl. Tarvis. optime: Perseverat ne dicat, Non adimet pater.

ANDR. IV. 4. 8.

MYS. *Cur tu obsecro hic me solam?* DAV. *Quae haec est fabula?*

„*Fabula.*] Fabulam se dicit audire, qui rei principium rationemque ignorat.“ — Ex. Tar-

Digitized by Google

vis. melius habet: Fabulam se dicit audire, quasi rei principium rationemque ignoret.

ANDR. IV. 4. 24.

Cedo, cuium puerum hic adposuisti?

„*Cedo.*] Cedo idem significat quod *dic* et *da* mihi. Ergo repetitionem significat, non supervacuam orationem.“ — Corrige ex libro Tarvis.: Ergo petitionem significat.

ANDR. V. 3. 1.

PAM. *Quis me volt? perii, pater est.* SI. *Quid ais omnium?* CH. *Ah* etc.

„*Quid ais omnium?*] ἀποσιώπησις tertia: et est ad deformationem personae. Et est irato familiaris ἀποσιώπησις, quum pro dignitate peccati non inveniat convicium.“ — Ex. Tarvis.: Et ē irato familiaris e. q. s. Lege: Est enim irato familiaris.

Digitized by Google

THESES CONTROVERSAE
AD DISPUTANDUM PROPOSITAE.

Quibus asteriscum praefixi, defendendas mihi dedit C. F. HEINRICHIUS.

I.

* *Veterum linguarum litterarumque studia fideliter assidueque coli salutis publicae multum interest.*

II.

Iudicium Bentleii de origine Tragoediae falsum est.

III.

* *Summum in Philologia est intelligere.*

IV.

Versus Homeri Iliad. V. 405. *obelo notandus est.*

V.

* *Fax Theologiae Critica est.*

Digitized by Google

VI.

* *Vox Goethii vera est, recentiorum temporum Philosophiam ad Philologum nil pertinere.*

VII.

Inanis est rumor, Terentium in scribendis Comoediis a Laelio et Scipione esse adiutum.

VIII.

* *Nullus est pleonasmus in scriptore bono.*

IX.

In Platonis Alcibiade I. p. 105. *Steph. verba* παντὸς μᾶλλον ἄξιος *a doctissimis quibusdam male tentantur.*

X.

* *Antiquarum rerum amor, nisi cum litteris et doctrina coniunctus sit, habendus est pars insaniae.*

XI.

Quaestiones in Philologia, quales sunt de particulis minimis, ut de part. ἄν, κέ *etc., momenti sunt longe maximi.*

XII.

* *Pessimae est Latinitatis, libros, dissertationes etc. sic inscribere: AUCTORE Caio vel Titio.*

Digitized by Google

XIII.

Vixit poeta Moschus.

XIV.

* *Bucolicum genus carminum nullum est.*

XV.

Versus Euripidis Hec. 205. *coniecturis corrumpitur.*

XVI.

* *Aeque recte dici potest restitutio in integrum quam in = integrum = restitutio.*

XVII.

* *Compendiis studia corrumpuntur.*

XVIII.

Sophocli Oed. R. v. 887. *pro vitioso* ἔρξεται ψυχᾶς ἀμύνων *restituendum est:* ἔρχεται ψυχᾶς ἀμύνων.

XIX.

* *Veterum Philosophiam propterea velle contemnere, quia gentilium fuerit, stultum est:*

XX.

Mathesis hoc verissima est disciplina, quod est severissima.

Digitized by Google

XXI.

* *Mythologus haud magis nascitur, quam quilibet alius logus.*

XXII.

Xenophontis quae fertur Apologia Socratis spuria est.

XXIII.

* *A Logica in studiis minime incipiendum.*

XXIV.

Bentleium iuste refellere summa artis criticae exercitatio.

XXV.

* *Non aliunde dissidia in Religione pendent, quam ab ignoratione Grammaticae.* (*Iosephi Scaligeri.*)

XXVI.

* *Docentis officium maximum est nosse ac docere discendi vias.*

Typis Buschlerianis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

L754
q
Linge, K.
Questionum Plautinarum
liber primus

829010

THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY

Digitized by Google

Digitized by Google